A. Mayer.

Marcus Tullius Cicero, Rhetorica ad Herennium
LL
C5684rhK

CORNIFICI RHETORICORUM AD C. HERENNIUM

LIBRI IIII.

RECENSUIT ET INTERPRETATUS EST

C. L. KAYSER.

R335/2.
20.6.29.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCLIV.

LEONARDO SPENGEL

AMICO UNICE CARO.

PRAFATIO.

Oratores antiquos non posse satis intellegi et iudicari, nisi cognitio artis rhetoricae accedat, hodie minus ignoratur quam olim, L. Spengelii maxume opera, cuius Artium scriptores, Anaximenes, complures dissertationes hanc literarum partem claro lumine illustrarunt: idem plus uno loco praestantiam huius magistri, qui volgo 'auctor ad Herennium' vocatur, commendavit, atque sic effecit, ut et ipse diligentius eum tractarem: legi igitur et relegi, etiam praelegi in scholis academicis, ac mox inveni non supervacaneum fore studium in scriptore collocatum, qui suo adhuc vel nomine careret, interprete careret, recensione careret.

Quod enim attinet nomen, habet hoc commune eximius hic rhetoricae doctor cum Anaximene, quod diutissume debita laude privabatur sub alieno et celebriore nomine delitescens, Ciceronianus enim inde a primis aerae nostrae saeculis ferebatur eius liber esse, nec nostris temporibus illius haberi est desitus, atque iidem, qui vehementissume Anaximenia Aristoteli vindicabant, etiam haec ars ut Tullio attribueretur, postulaverunt[1]); stantque ab ea sententia adhuc nonnulli VV. DD.[2]), quibus igitur liber Cicerone dignus videtur; alii plane indignum esse pronuntiant[3]); ex contrario longe supra Ciceronis Rhetorica extollit Puchta iure consultorum celebratissumus[4]). docendi certe arte illum vincit, qui in hoc quoque genere magis eloquentiae gloriam quam accurationis quaesivit; at noster materiam, quae ambitiosis Graecorum studiis nimis densa et perplexa evaserat, ad simplicem et perspicuom ordinem

1) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1839, p. 408.

2) ut *R. Klotz* in ed. nuper curata Cic. Vol. I, p. VI.

3) Bernhardy, Lat. Litteraturgesch. 57, 622.

4) Gewohnheitsrecht p. 50.

redegit, partes singulas dilucide explicavit, exempla idonea apposuit, quae pleraque ipse elucubratus est: spirat in iis priscae eloquentiae Romanae ingenium, ut quasi ἀποῤῥῶξ quidam oratorum haberi possint deperditorum, et repraesentare, quicquid ante Ciceronem illi principes: Catones Gracchi Crassi Antonii Sulpicii in dicendo assequi potuerunt. ipse, quantum ex toto libri habitu existumare licet, homo fuit a volgari rhetorum levitate alienissumus; severus religiosus moribus castissumis, popularis libertatis defensor, arrogantiae nobilium gravis accusator, praeterea doctrina multiplici excultus, qui quidem de arte grammatica se scripturum pollicetur[1]), de re militari, de administratione rei publicae[2]), contra dialecticos[3]), philosophiae autem inprimis studiosum in principio et fine libri se prodit[4]).

Adumbrare conati sumus virum, in quo specimen virtutis vere Romanae invenire non iniuria, spero, videbimur; Cornificium esse, eundem fortasse, quem Cicero Verr. I, 30 severissumum atque integerrumum iudicem appellat[5]), statim demonstrabimus.

I.

Scriptor huius libri primus Latine edidit artem rhetoricam, nomina rerum, quibus ars continetur, primus e Graecis convertit, exempla adiecit propria, non aliunde quaesita, utrumque ipse profitetur[6]): itaque, nisi mendacem hominem fuisse arbitremur, et nominum et exemplorum, quibus utitur, inventor habendus est: iam si Quintilianus figurarum quasdam appellationes in hoc libro obvias tribuit Cornificio[7]), atque ita

1) 141, 15.

2) 83, 11 sq.

3) 43, 7.

4) 3, 3; 212, 15 sq.

5) si certa res esset, etiam praenomen Q. addere possemus. opinati sunt quidam L. Cornificium esse, ad quem epistulae sunt scriptae Fam. XII, 17—30; at is aliquanto iunior fuit Cicerone.

6) legantur verba apertissuma 133, 1 sqq. ab Handio tamen neglecta Encycl. E. et G. XVII, p. 108.

7) IX, 3, 97. 'adiicit his — Cornificius interrogationem ratiocinationem subiectionem transitionem occultationem; praeterea sententiam membrum arti-

significat a nemine ante eum fuisse usurpatas, potestne is Cornificius alius fuisse atque horum Rhetoricorum auctor? si exempla idem laudat ad verbum convenientia[1]), estne credibile aut ab alio ea ante prolata fuisse technographo, non ab hoc, qui abstinuit alienis, sua elaborare magistrum debere graviter contendit[2]), aut a posteriore maluisse Quintilianum ea sumere neglecto vero fonte? an vero statuemus ignoratum ab eo viro omnium doctissumo librum esse, quem usque ad nostra tempora traditum unquam latuisse studiosos Romanae eloquentiae plane improbabile est, et aliquem plagiarium fingemus, quo usus sit Fabius, quem extitisse ne tenuissumum quidem vestigium reperitur?[3]).

Haec, quae satis manufesta esse videntur, doctorum quorundam virorum ariolationibus mature obscurata sunt: eas omnes recensere non opus est, nisi exempla vitiosae argumentationis[4]) congerere velimus. vidit verum praeter Victorium Sigonium Muretum Lambinum Salmasium A. Ricobonus, ex-

---

culum, interpretationem conclusionem'. cf. 147, 11; 147, 23; 159, 20; 163, 14; 164, 17; 149, 18; 152, 10; 152, 20; 167, 8; 171, 1. gravissumus locus est V, 10, 2 'pluresque invenies in ea opinione, ut id demum, quod pugna constat, enthymema accipi velint: et ideo illud Cornificius 'contrarium' appellat': Quint. dicit locum 151, 4 sqq., ubi 'conclusio ex repugnantibus' quam ipse appellat, sic describitur a nostro: 'contrarium est, quod ex rebus divorsis duabus alteram breviter et facile confirmat — hoc exornationis genus — quom commodum est auditu propter brevem et apsolutam conclusionem, tum vero vehementer, id quod opus est oratori, conprobat contraria re' etc. cf. praeterea IX, 3, 90 'nam et hoc (finitionem puta) Cornificius atque Rutilius σχῆμα λέξεως putant' quo significatur definitio 162, 22, et IX, 3, 27 'idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam (180, 6) vocat, Graeci παρρησίαν'. quem locum laudat Iul. Rufinianus (p. 36. ed. Capper.) nescio an non de ipsius Cornificii verbis, potuit enim Quintiliani fide eum laudare. quod M. Mattius affirmat, 'multo maximam partem illarum figurarum, quae apud hunc incertum auctorem sunt, iisdem nominibus a Cicerone prius esse insignitas — ut necesse sit fateri, ea nomina non ab Cornificio, sed multo ante eum natum facta fuisse' (Opin. 186) plane fallitur.

1) IX, 3, 31 ex 145, 2; 54 ex 162, 14; ib. 70 ex 146, 3; ib. ex 156, 6; ib. 72 ex 157, 12.

2) cf. 121—132 egregiam de hac re Cornificii disputationem.

3) ea tamen sententia est Schützii, Prolegg. XLI, 'fieri potuisse, ut Cornificii liber cum libris ad Herennium eandem ob causam, ex qua similitudo inter Herennianum et Ciceronem de Inventione fluxit, multis locis conveniret'.

4) cf. 56, 3 sqq.

positque in libello quem 'Iudicium secundum' et in altero, quem 'Defensorem' inscripsit. at ipsius, qua usus erat, Quintiliani auctoritate adversarius quoque Riccoboni, Marius Mattius (Opinionum libri III, 175—188) nitebatur, et ex levi quadam neglegentia in eius verbis IX, 3, 69 notanda, ubi traductionis exemplum cum altero adnominationis ex Cornificio afferens omisit admonere hoc alterum traductionis non esse[1]), deinde ex duobus lectionis vitiis, altero hic altero illic relicto[2]), apertissumum discrimen repperisse se putabat. quae praeterea suae opinioni firmandae attulit Mattius, ne speciem quidem habent veritatis, tamen fidem tribuerunt ei multi, in quibus P. Burmann[3]), atque Cornificium iam sublatum rati aut desperaverunt de inveniendo auctore, ut ipse Burmann[4]) nostraque aetate plerique VV. DD., aut circumspexerunt, quem orbo libello patrem adsignarent, a Cicerone enim post Raph. Regii Fl. Sabini aliorumque censuras volgo abiudicabatur.

Primus autem Regius anno 1492 senserat Ciceronis esse non posse opus, de quo Quintilianus taceret[5]); rectissumum

1) ea admonitione non opus erat ad explodenda exempla frigida iudicio Quintiliani, quorum scilicet vitium quantitatis mutatione non videbatur minui posse: itaque solum traductionis nomen posuit, adnominationis omisit.

2) 'occupatio' menda omnium codd. est 164, 17, quam recte sustulit Spalding; cf. ibi Not. nostras. frustra triumphat Mattius: 'solo hoc testimonio coguntur velint nolint Cornificiani fateri nequaquam hos libros a Cornificio conscriptos fuisse, neque omnino verum esse quod scribunt nihil tribuisse Fabium Cornificio, quod in Rhetoricis ad Herennium non inveniretur.' omnino verum est. quippe Quintilianeus quoque locus IX, 3, 91, qui videbatur refragari 'nam et haec Cornificius atque Rutilius schemata λέξεως putant', iam congruit adhibita optumorum codd. lectione 'nam et hoc — schema' ut de sola definitione agatur.

3) in Epist. Dedic. praefixa ed. Graevianae, Lugd. Bat. 1761, p. XXVI.

4) l. c. XXXVI.

5) Regius refutavit illos, qui inscriptione et quorundam scriptorum auctoritate probari putabant Ciceronis esse haec Rhetorica; mentione Tullii et Terentiae nil effici monuit; rectissume a Quint. IV, 5, 3 locum ex Rhet. ad Herennium (16, 6) reprehendi intellexit annotavitque non taciturum fuisse, si Ciceronis illud opus putasset; item bene indicavit de verbis III, 6, 45 'dixerunt coniecturalem legalem iuridicialem, qui et Verginio placent' vide ed. Burm. praecepta eloquentiae diverso hic ordine tradi atque in reliquis h. g. Ciceronis libris animadvertit; cf. 'Quaestio, utrum ars rhetorica ad Herennium Ciceroni falso inscribatur', quae post eius Problemata in Quint. Inst. Or. prodiit Venetiis, ao. 1492.

hoc iudicium a multis praeiudicatae opinionis vindicibus acriter quidem, set futilissumis argumentis[1]) impugnabatur; Fl. Sabinus[2]) magis sensu quodam Latinitatis movebatur: quantopere ipsa disciplina, quam tradit Cornificius a Ciceroniana in libris de Inventione proposita discrepet, mirum in modum plerosque veteres et recentes lectores atque editores fugit: fefellit similitudo eorum, quae uterque de exordio et narratione praecipit, ut relicua item congruere nimis cito statuerent, aut cepit oscitantia quaedam, ut non animadverterent plane diversam esse constitutionum, quarum maxume tractatione munus oratorium continetur (cf. 16, 14 sq.), numerationem appellationem divisionem explicationem: Cicero quattuor numerat, Cornificius tres[3]); ille appellat coniecturalem definitivam generalem translativam, hic coniecturalem legitumam iuridicialem[4]); ille separat a constitutionibus controversias, quae in scripto versantur, hic eas subiungit legitumae constitutioni[5]); ille generalem dividit in negotialem et iuridicialem, huic iuridicialis ipsa genus est tertium constitutionum, subiectam habens formam absolutam et assumptivam[6]); in coniecturali constitutione ille firmamentum defensori, hic accusatori tribuit[7]); ille actioni non solum praeteritae, set etiam futurae coniecturalem statum adhibet, hic in praeterita eum continet[8]); ille non utitur divisione in probabile collationem signum argumentum consecutionem approbationem, hic contra abstinet altera in argumentationem ex causa ex persona ex ipso facto, et huius partis divisione in

---

1) cf. Fabr. Bibl. Lat. Lips. 1773, p. 152.

2) Sabini dissertatio recepta est a Grut. in Fac. I, 1033 sqq.

3) cf. 16, 17 cum Inv. I, 10.

4) cf. 17, 2 cum Inv. I, 10.

5) cf. 17, 10 cum Inv. I, 17 extr. in Topicis quodam modo ad veriorem Cornificii rationem redit, ubi ait 95: 'in qua re alii quasi status existunt novi, qui appellantur legitumae disceptationes: tum enim defenditur non id legem dicere, quod advorsarius velit, set aliud: id autem contingit, quom scriptum ambiguom est — quom opponitur scripto voluntas scriptoris — quom legi lex contraria adfertur' etc. sic emendavimus locum volgo male lectum et interpunctum.

6) cf. 21, 13 cum Inv. II, 62.

7) cf. 24, 17 cum Inv. I, 19.

8) cf. 17, 2; 29, 3 sqq. cum Inv. I, 11.

continentia cum ipso negotio gestionem negotii adiuncta negotio et consecutionem[1]); maxume differunt tractatione locorum communium, argumentationum artificiosarum et vitiosarum, denique generis deliberativi, quae longius persequi hîc nolumus, cf. modo II, 10 sqq. cum Inv. II, 47 sq. II, 27 cum Inv. I, 51 sqq. III, 1—10 cum 155 sqq. et quae de his partibus olim scripsimus in Monac. d. n. 1852, p. 482—487.

Ea omnia qui accuratius inter se comparaverit, non amplius de eodem utriusque libri scriptore, immo ne de fonte quidem eodem cogitabit, unde ambo scriptores hauserint. Cicero pleraque ex Hermagora repetiit, qui ei potissumus est auctor, ut Hermogeni[2]); nonnulla enim in illo reprehendens significat se in ceteris viam a Graeco magistro monstratam tenere: aput Cornificium nusquam invenias Hermagoreae disciplinae vestigium; quin videtur eam ipsam petere prooemii verbis 'illa, quae Graeci scriptores inanis adrogantiae causa sibi adsumpserunt, reliquimus: nam illi, ne parum multa scisse viderentur, ea conquisiverunt, quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur'. falsa etiam de scholis ab eo institutis, ex quibus Cicero commentarios suos excipere potuerit, suspitio est; familiaria enim negotia (3, 1), quibus parum otii sibi relinqui dicit, nil praeter curam domesticarum rerum significant; eae sunt occupationes, quarum etiam 26, 4 meminit; iis impeditus scholas habere nequibat: quas si tamen ei tribuerimus invito, nihilo magis efficiemus, ut Ciceronem docuerit, nisi hunc impium dicere velimus in magistrum: magistrum enim certe laederet istis 'huius constitutionis (translativae) 'Hermagoras inventor esse existumatur, non quo non usi sint ea veteres oratores saepe multi, set quia non animadvorterint artis scriptores eam superiores, nec rettulerint in numerum constitutionum: post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam inprudentia falli putamus, res enim perspicua est, quam invidia atque obtrectatione quadam inpediri'. his (Inv. I, 16) aperte reprehenduntur verba Cornificii 16, 16: 'causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tris putavit esse, non ut de illorum quicquam detraheret in-

1) cf. 29, 8 cum Inv. II, 16 sqq. I, 37 sqq.

2) Inv. I, 8, 12; vide contra I, 16.

ventione, set ut ostenderet id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito'. si animum Ciceronis a tali culpa abhorruisse existumabimus, concidit hoc uno argumento et Schützii coniectura, qui Gniphonem fecit libri auctorem[1]), et van Heusdii[2]), qui Aelium Stilonem, uterque enim ea ipsa re maxume ducebatur, quod a Cicerone magistri commentarios editos esse arbitrabantur non cogitantes scilicet de tanta, quantam supra ostendimus, librorum ipsorum differentia. ne autem quis ad pravam Burmanni[3]) aliorumque opinionem rediens Inventionem ante Cornificiana scriptam putet, conferat 15, 4, ubi ait: 'de insinuatione nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus' cum Invent. I, 23, quo loco Cicero hac triplici insinuationis partitione ut re iam volgata utitur. fieri sane poterat, ut opus a Cornificio tarde ad umbilicum adduceretur, aliquot annos defluxisse suspicamur, antequam eo perveniret; nam in extrema parte Sullam victorem describit 210, 1; in 73, 5 Sulpicii legem quandam vituperat, neque incredibile videtur Inventionem iam evolgatam fuisse quarto nostri libro nondum edito; ne maturius opus conficeretur, difficultas impediebat scriptionis aput Romanos nondum usitatae; de pronuntiatione vero omnium primus hic scriptor praecipere ausus est (cf. 99, 18); neque poterat occupato aliis negotiis cito procedere exemplorum elaboratio, quorum maxumam partem ab ipso excogitatam esse ipse affirmat et argumentum ex Romanis rebus petitum prodit. tamen prolata est opinio scriptorem non suis exemplis esse usum, plane perversa (cf. Ellendt. Brev. eloquentiae Romanae ante Caesarem historia p. 41): si enim Latinos oratores in suum volumen transtulisset, non latuisset hoc populares, nec effugisset crimen mendacii; Graeca autem exempla si convertisset in Latinum sermonem, Graece certe doctos non fefellisset ac ridiculus fuisset rhetores Graecos in prooemio refutans, deinde

---

1) cf. Prolegg. XXIII sqq.

2) cf. Disquisitio de L. Aelio Stilone Ciceronis in rhetoricis magistro, Rhetoricorum ad Herennium, ut videtur, auctore. scripsit J. A. C. van Heusde phil. th. mag. litt. hum. doct, Traiecti ad Rhenum 1839. VIII, 109. 8vo.

3) 'illius de Inventione libros passim descripsit' Praef. Dedic. XXXV.

sequens in exemplis et in eo imitans, quod antea acerbe reprehendisset.

Ciceroni autem illam retardationem operis Cornificiani in causa fuisse videtur, ut suum relinqueret rude et imperfectum: taeduerit etiam ex illo nimis multa describere de pronuntiatione memoria et elocutione, ut meliorum fontium penuria coactus fuerat Cornificium paene solum sequi iam in primis de exordio et narratione capitibus[1]). vel sic Inventio, quam suus ipse pater postea sprevit (de or. I, 5), non excidit manibus discentium: propter Ciceronis nomen multum lecta atque adeo lubentius adhibita est quam libri Cornificiani partes eae, quibus inventionis praecepta continentur; itaque hic fortasse interiisset, si integra fuissent Ciceronis Rhetorica: nunc horum defectus alteris salutem attulit. facile enim bibliopolae alicui in mentem venire poterat utrumque librum vendibiliorem fore, si annecteretur Inventioni ars Cornificii, huius scilicet nomine inducto. fraudem confirmasse iam idem homo videtur nonnullis interpolationibus, ut verbis ipsius Ciceronis in alienum librum translatis vere Tullianus videri posset lectoribus nil mali suspicantibus, neque eum ratio a stupore plebis literariae petita decepit: 'Tullius et Terentia' foedissima illa interpolatio (18, 13 sq.) F. Maturancium, auctoris Herenniani interpretem[2]), et Marinum Becichemum Scodrensem et Angelum Bucinensem et alios Regii adversarios lusit. nescio an ab eodem profecta sit falsario divisio Cornificiani operis in sex libros, antiquissuma certe est, quippe iam Prisciano[3]) usitata. huius et antiquiorum scriptorum Hie-

1) cf. Cornif. I, 2, 3, 8, 9, 10, 11, 12. 13, 14, 15, 17 cum Inv. I, 7, 9, 8, 23, 25, 26, 27, 28, 29, 31; etiam Cornif. I, 18, 15, 6, 7, 23, 21, 15 cum Inv. I, 10, 20, 21, 23, 24, 28, 29.

2) vide ipsius hominis minume mali verba: 'Cicero ad Herennium lib. I a se ipso exemplum ducens sic ait: pater familias — Tullius haeres meus Terentiae uxori meae triginta pondo etc. nonne hoc firmissimum est argumentum? si enim alius a Cicerone ad Herennium scripsisset, nunquam profecto nec Tullii nec Terentiae meminisset'.

3) Priscianus III, 3, 19 (606 ed. P.). 'Cicero ad Herennium in quinto: quibus virtutibus — comparare'. locus est 150, 20. numerus igitur restituendus etiam X, 1, 2 (876 ed. P.) 'idem in IIII ad Herennium 'quid enim tibi vis?' aliquis inquiat — idem ad eundem in IIII 'at non Africani nepotes,

ronymi[1]) et Rufini[2]) auctoritas opinionem dudum divolgatam de Cicerone auctore magis confirmavit ac saepe contra incredulos evocata est.

II.

Utilitatem huius libri, postquam primum est editus, bene intellectam fuisse a studiosis artis oratoriae maxume inde patet, quod eum ne Ciceronis quidem de oratore libri aut Orator obscurare potuerunt; neque ei postea offuerunt Quintiliani Institutiones oratoriae magnis doctrinae copiis insignes. nil nocuit Ciceronis obscura quidem, set haut dubie contra hos libros comparata obtrectatio[3]), nil Quintiliani malignum silentium[4]): scholae artem tam accommodatam suis exercitationibus, et, ut ipsius scriptoris verbis utar 'dilucida brevitate praeceptionis' conspicuam non dimiserunt; idem vero Cicero, qui oblivioni tradere voluerat opus agreste, suo nomine conservavit et immortalitati tradidit, Quintiliano autem debetur, quod licuit Cornificii nomen sine ulla dubitatione his libris inscribere. imperatorum aetate usurpatos esse docent additamenta, quae notavimus 23, 4 et 64, 17; medio aevo magistros rhetoricae inprimis hunc auctorem secutos esse ostendit codicum vetustorum multitudo.

Quod autem plerumque usu venit, ut libri frequenter lecti interpolatorum impudentes manus sentirent, nescio an in nullum tantopere, quam in hunc Cornificianum cadat. ac primum,

---

inquit' etc. hic posteriora ex quinto, priora ex quarto laudaverit grammaticus necesse est; illa enim 172, 6, haec 125, 10 leguntur.

1) Hieronym. in prooem. comment. ad Abdiam: 'dicit et Tullius tuus adulescentulo sibi inchoata quaedam et rudia excidisse. si hoc ille tam de libris ad Herennium, quam de Rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto ad comparationem senilis prudentiae dicere potuit, quanto magis ego libere profitebor et illud fuisse puerilis ingenii et hoc maturae senectutis?'

2) Rufinus aput Cic. ed. Or. V, 1, 186 et 193 'Ciceronem ad Herennium in arte s. 'in arte rhetorica' laudat.

3) de or. II, 10 'nec vero te, carissume frater — rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestis putas, insequor ut erudiam.' adde II, 117, 130. 201, III, 70, 75, 188. 209.

4) vide III, 6, 44—46, ubi Cornificius commemorari debuit, et ib. 63; obiter eius mentionem facit III, 1, 20. cf. Monac. n. d. 1852, 476.

ut iam supra monitum est, ex Inventione complura ingesta sunt, eo consilio ut Ciceronis videretur esse, ut 4, 13; 9, 17; 10, 12 et 14; 14, 7; 18, 11; 19, 17; 20, 13 et 19; 23, 1; 76, 14 et in aliquot saltem codicibus 11, 20; 12, 11; 20, 16; 27, 2; 53, 2; 67, 11; 77, 5; contra ex Cornificiano opere nil in Inventionem translatum est. alius generis sunt explicationes, ut 4, 13; 11, 10; 25, 15; 27, 2; 28, 2; 32, 13; 47, 14; 49, 6; 50, 8 et 18; 51, 10; 72, 7; 83, 18; 88, 7; 96, 3; 105, 9; 115, 1; 116, 11 et 13; 128, 16; 131, 9; 147, 6; 157, 8; 183, 7; 186, 4; 196, 20; 197, 1 et 4; 200, 6; 202, 6; 208, 4, indices marginales, ut 18, 2, 9 et 17; 19, 11; 21, 9; 28, 20; 34, 1; summaria eorum, quae in ordine leguntur, ab incauto librario pro genuinis habita, ut 55, 20; 58, 6; 60, 7; 65, 13; 98, 8; 103, 9; 104, 17; 138, 9; 183, 11; 191, 13; 192, 5 et 9; 196, 9; 213, 4; eae ἀνακεφαλαιώσεις tam similes sunt inter se, ut hac repetitione nil fingi possit foedius; praeterea plurumis locis invenias adiecta aut constructioni grammaticae, aut ipsi scriptoris sententiae plane contraria; constructioni, ut 10, 13; 28, 18; 32, 7; 55, 11; 57, 9; 58, 14; 85, 10; 89, 12; 173, 10; 189, 4; 190, 12; 207, 6; sententiae, ut 19, 16; 20, 13; 27, 10; 30, 7; 40, 13; 44, 6 et 12; 47, 15; 49, 18; 55, 19; 56, 6; 57, 9; 58, 14; 75, 8; 82, 9; 86, 12; 87, 15; 91, 13; 97, 10; 98, 6; 104, 11; 106, 14; 110, 4; 124, 4; 139, 14; 151, 4; 155, 18; 159, 22; 166, 16; 189, 4; 191, 1 et 2; 192, 10. intempestive loci antea lecti citantur 187, 4; 192, 3; 194, 8; nondum lecti anticipantur 192, 12; 195, 12; 196, 1 et 12; 197, 4. plane ridicule interpellatur scriptor ista loquacitate identidem interstrepente 192, 3—12, quam paginam lectori, ut animi causa inspiciat, indico. earum interpolationum Schütz indagavit numerum non exiguom magis sensu quodam recti odoratus, quam artis rhetoricae ductus cognitione; quam ob rem etiam sana aliquot membra exsecuit, e. g. 188, 7 et 11. ceteri editores rarissume aliquid senserunt, spuria cum genuinis pariter relinquentes scriptori, in quo, ut ait Orelli ad I, 21 (hîc 19, 8), nil huius modi temere damnandum sit. Schütz autem admodum inconsiderate rem gessit, quom locos ipsi suspectos eiecit, quasi in hac re ab omni errore immunis esset: nos maluimus diversa typorum forma distinguere aera lupinis.

Quae modo exposuimus, argumento esse possunt, quam magnus sit error eorum, qui parum valere arbitrantur criticam operam ad scriptores recte iudicandos: illis enim plurumis et foedissimis interpolationibus tribuendum videtur, quod docti quidam viri iniquam de hoc libro sententiam tulerunt: ista sane ieiuna inepta putida effecerunt, ut scriptor eleganti brevitate et ingenua simplicitate excellens, qui nil ante rem, nil praeter rem profert, qui res perfectis verbis comprehendit, qui aetate debet a nobis princeps prosae orationis Latinae haberi, si quidem in hoc genere antiquior liber integer[1]) ad nos non pervenit — ut is, inquam, ipse tamquam ieiunus ineptus putidus magistellus contemneretur. at speramus, quem ad modum, quom pessume habitus circumferretur, tamen invenit, qui vel per pannos agnoscerent decorem, postea severioribus etiam placiturum, remotis, quae eam nitere non sinebant, adhibitis, quae sui similiorem reddant.

III.

Codices huius libri permulti inveniuntur iique aut tales, ut certae familiae adsignari possint propter constantiam lectionis, aut ex diversis familiis conflati. familias constituimus tres ac notavimus eas numeris 1, 2, 3, ubi omnes eiusdem sectae codices consentiunt.

Primae familiae codicibus octo usi sumus, quorum antiquissumi et optumi sunt Parisinus 7714(*p*) saec. IX, 7231(*π*) saec. X Herbipolitanus (*h*) in confinio utriusque saeculi scriptus. ex uno eos fluxisse exemplo inde colligas, quod carent principio usque ad verba 'tria sunt tempora' (9, 10). similitudo tamen non tanta est, ut pro uno usurpari possint: sua enim unusquisque habet bona, ut *p*: 51, 8, 62, 1, 73, 10, 91, 12, 102, 8, 115, 4; *π*: 47, 14, 53, 15, 54, 12, 61, 20, 66, 12, 78, 10, 117, 9, 138, 2, 159, 14, 163, 15, 181, 11 et 12, 186, 1, 191, 3, 205, 5; *h*: 18, 1, 36, 19, 41, 4, 44, 1, 51, 5, 70, 3, 87, 16, 116, 7, 121, 1, 144, 18, 156, 4, 160, 14, 163, 13, 165, 10, 185, 15, 189, 17. eiusdem generis fuerunt duo Gryphiani,

1) nam Catonis de re rustica, qui passim in recentiorem sermonis formam mutatus est, hic ratio haberi nequit.

quos Mich. Brutus quondam inspexit (cf. ed. Burmann. Lugd. 1761, p. 485—505): nam in his eadem ab initio defuisse illius annotatio p. 485 docet: ubi nunc lateant, non constat, ut debeamus Bruti neglegentissuma collatione esse contenti. cognoscitur vel sic eorum praestantia ex locis 94, 1, 111, 10, 129, 4 ac differentia quoque a ceteris huius familiae libris. ad hos ut redeam, in vitiosis ii lectionibus plus etiam quam in bonis inter se discrepant; reperiuntur, ut hoc potissumum indicem, in codice *h* et *π*[1]) complures secundae familiae scripturae, ut librarii non videantur in uno archetypo se continuisse.

Eius rei maiorem in modum relicui huius familiae codices, qui principio non carent, vestigia habent: dico Erfordiensem, (nunc Berolinensem), saec. XIII, (*e*) Cauchianum (*k*) Emmeranum *E*,59(nunc Monacensem) saec. X(*μ*). atque *e* quidem pluruma praebuit eximia, ut 4, 17, 5, 13, 27, 11, 28, 16, 48, 5, 66, 2, 106, 9, 129, 7, 131, 9, 148, 7, 161, 1, 169, 11 et 16, 176, 7 et 19, 198, 7, 205, 12, 206, 5; non numquam cum solo *p* aut *h*[2]) conspirat, ut ex fonte vel his libris meliore ductum existumaveris; at idem permultis tertiae familiae depravationibus[3]) in quarto potissumum libro affectus est: cum eadem haut pauciores bonas lectiones communes habet[4]).

k adhuc ex sola Cauchii collatione innotuit satis accurata, si aetatem illam spectes, omisisse tamen haut pauca ex comparatione ceterorum huius familiae codicum suspicamur. quo saeculo scriptus sit, et ubi asservetur, Cauchius non adscripsit.

---

1) in h ut 31, 12, 33, 8, 42, 8 et 12, 165, 5 et 17, 167, 2, 174, 2, 190, 20; in *π* 69, 11, 102, 10, 105, 10, 115, 7, 121, 2, 127, 12, 166, 19, 198, 12. at *h* cum solo *p* consentit in 37, 9, 47, 6, 61, 9, 109, 10, 113, 1, 117, 2, 139, 2, 160, 15. 164, 12, 172, 1, 181, 10, 185, 3, *π* cum solo *p* 22, 13, 56, 11, 57, 6, 70, 3, 146, 14, 178, 5; cum solo *h* 37, 21, 55, 15, 130, 5.

2) cum *p* 44, 14. 57, 8, 60, 1: cum *h* 11, 10, 19, 7, 21, 16, 22, 3 et 13, 24, 2, 25, 1, 27, 13, 28, 11, 43, 13, 47, 13, 49, 11, 62, 1, 103, 4, 104, 8, 106. 7. 108, 5, 132, 2, 157, 5 et 22, 168, 15; cum *π* 156, 5, 198, 15.

3) ut 91, 5, 92, 1, 99, 1, 110, 4, 114, 8, 124, 16, 126, 2, 134, 3, 137, 5, 144, 15 et 17, 145, 12, 148, 10, 155, 1, 174, 4, 181, 1, 3, 8 et 15, 185, 16, 186, 1, 191, 7, 193, 13, 198, 5.

4) ut 67, 12; 71, 12, 88, 8, 98, 20, 99, 2, 111, 7, 125, 8, 139, 13, 144, 13, 146, 5, 7 et 14, 151, 1 et 9, 154, 13, 155, 10 et 12, 158, 7, 159, 16, 164, 2 et 4, 166, 12 et 18, 172, 12, 179, 8 et 9, 180, 7, 181, 9, 182, 8, 184, 20, 194, 10, 203, 11.

bonas eius lectiones vide 8, 21, ubi *r* accedit; 16, 6, 41, 1, 102, 11, 205, 16; 208, 11, 210, 11.[1]) *μ* omnium primae familiae librorum maxume ad secundam declinat[2]); solus veram scripturam servat 33, 13, 67, 14, 85, 13, 87, 4, 156, 2, 175, 11. correctus passim est manu non multo recentiore, quae totam fere alterius sectae varietatem intulit. simili ratione *p* ex libro eiusdem generis mutatus est, idque interdum tam violenter, ut antiqua lectio plane deleretur, cf. 63, 7, 168, 15[3]). etiam in *k* saepius varietatem illinc appositam invenimus. itaque $p^2k^2\mu^2$ significat correctricem eandemque ex codd. secundae familiae profectam manum: multo rarius in *h π e* talis emendatio apparet, neque ut in illis libris, ubique ex deterioribus fontibus ducta est. eidem denique sectae accensendus Ingolstadiensis nunc Monacensis recentissumus chart. saec. XVI, nec quidquam novi praebens.

Solam primam familiam pro fundamento genuinae scripturae in universum habemus: quae tamen passim librariorum vitio obscurata aut visa certe corruptionem tulisse duorum, qui medio aevo extiterunt, criticorum conatibus temptata est alterius indocti et inelegantis, alterius doctioris neque inficeti; hic locis, quibus corrigendis tralatitia Latinitatis cognitio sufficit, saepe recte medetur. ab illo rudiore secunda familia constituta est; exemplum, quod ad suum captum refingebat, easdem habuit lacunas, quas nostri primae familiae libri; quem doctiorem appellamus, pleniore codice utebatur et non nusquam meliora offerente quam illi hodie praestantissumi: sic accidit, ut quae inde derivata est volgaris recensio, etsi plerumque non sit commendabilis, tamen aliquoties auxilio venerit nobis in utraque potiore familia haerentibus. pleniorem autem alterius correctoris codicem fuisse ex lacunis satis multis consequitur, quae in deterioribus tantum libris explentur, in melioribus maxume propter homoeoteleuta natae orationem interpellant incommodissume: vide 16, 11, 29, 15, 37, 2, 56, 6,

1) secundae lectiones habet 19, 12, 27, 10, 35, 1, 111, 7, 112, 8 et alibi.

2) exemplo sint, quae desunt in *pπh* 3, 1—9, 10, praeterea 55, 14, 61, 2, 70, 18, 72. 6, 91, 5. in 20, 6 coniungit lectionem fam. pr. m. cum deteriore reliquarum.

3) huius rei nulla mentio fit in ed. Orelliana.

69, 8 et 10, 95, 4, 110, 17, 118, 18, 119, 6, 122, 3, 123, 3, 128, 2, 13 et 17, 175, 8, 196, 20, aut quae etiam in *e* sublatae sunt cum deterioribus faciente, cf. 126, 14, 132, 9, 139, 13, 144, 2 et 13, 159, 6, 188, 11. de iis pleraeque eius modi sunt, ut ex ingenio tolli non potuerint. antiquiorem fuisse auctorem secundae familiae ostendunt quaedam eius lectiones in tertiam translatae, ut 18, 11, 19, 12, 22, 13, 27, 10, 55, 14, 86, 9, 94, 1, 177, 1.

Plurumis locis duae praestantiores familiae consentiunt, qua re factum est, ut criticis eadem fere dignitate codices esse viderentur, quos nunc alterutri accensemus. at discrimen, ubi dissentiunt, ingens est, quippe correctoris lubidine natum, non pedetemptim progressa depravatione. iuvabit autem de aliquot exemplis cognoscere utriusque interpolatoris rationem:

1. est mater atque praeterisse apariter. (58, 20)
2. est mater quae parit, pariter — 3. est mater atque materies, ea parit

1. si sententia aliter indicatum sit. (77, 4)
2. si a sententia al. ind. sit. — 3. si semel al. ind. sit.

1. eadem ostenuntiatione scit (102, 11)
2. eadem ostentatione fit. — 3. eadem attinent ad suavitatem pronuntiationis.

1. varietates opus sunt. (105, 10)
2. varietates poni possunt. — 3. varietate opus est.

1. nullius uneforse calamitas (177, 1)
2. nullius urbis (s. nullius verborum). cal. — 3. null. urbis meror et cal.

1. prudens parcum (178, 5)
2. impudentemque parcum. — 3. illudens parcum.

1. constituetur. (182, 1)
2. comprimetur. — 3. mitigetur.

1. tamen et ipsorum veritatis esse videatur (182, 4)
2. tamen et sententia eorum, qui dicunt, quam de quibus dicitur, vera habeatur — 3. amici ipsorum et veritatis esse videamur.

accedant, in quibus 2 male, 3 bene emendat primae lectionem:

1. quidem varietas haberet enim (103, 4)
2. quod emendat varietas. habet enim — 3. habet enim

1. sine mul cum concitatione (109, 4)
2. sine multa concitatione. — 3. simul cum cogitatione.

1. quibus liber constat vitae (179, 6)
2. quibus libertas constatuite. — 3. qu. liberi sunt, statuite.

1. astutioperatione (182, 6)

2. astuta operatione (s. a statuta operatione) 3. astutiore ratione

1. huiacent c. gracchi (209, 9)

2. stultitia g. gracci memento. 3. inulti iacent gracchi.

Secundae familiae agmen ducit Bambergensis 420(*a*)saec. X, passim correctus ex aliquo tertiae fam. libro (a^2)[1]. proxumus ei est Frisingensis (*f*)saec. XI (nunc Monacensis), aliquantum ab utroque distat Emmeranus F104(*n*)saec. XII (nunc item Monacensis), qui plura quam illi cum tertia familia communia habet,[2] et aliquot locis solus ex Cic. de Inv. interpolatus est,[3] at idem nescio unde praeclara quaedam servavit.[4] accedunt ad hos libros accurate excussos copiae Gruterianae ex Palatino quarto et sexto, Gemblacensi, Bruilerensi,[5] Liliensi,[6] Coloniensi, Tosano, qui omnes sunt eiusdem sectae, etiam Mediceus(*m*)a J. Gronovio inspectus,[7] Parisinus 7696,(saec. XII) Gudianus 153 saec. XIII(*g*) Augusteus 4, 11(*α*)saec. XII. coniunctim haec secta praebuit emendationem in his locis: 3, 15, 4, 14, 6, 4 et 21, 13, 23, 32, 14, 39, 10, 67, 1, 69, 11, 89, 3, 96, 5, 107, 2, 108, 1, 113, 11, 126, 1, 168, 12, 170, 12, et 16, 174, 7, 179, 2, 209, 1. singuli excepto *n* rarissume aliquid boni habent, ut *a* 187, 7; *f* 135, 2.

Tertia familia constat Bambergensi 423 (*b*), saec. XII, et Erlangensibus 289, 290, Lovaniensi nunc Bruxellensi 9999, Harleianis 2510, 2623, 2624. eadem fere ac *b* aetate scriptis, Fabriciano aput Gruterum (cf. ad 116, 6 huius notam). Pari-

---

1) saepe haec secunda manus a codice *b* (Bamberg. 423) discrepat, ut 23, 4, 38, 5, 44, 7, 58, 20, 109, 17, 150, 14, 162. 16, 164, 8.

2) ut 46, 10, 49, 10, 90, 19.

3) cf. 4, 15, 11, 21. 21. 2.

4) 10, 2, 17, 5, 30, 17, 72, 9, praeterea solus cum *e* facit 3, 5, 31, 4; cum *f* 40, 12, 66, 4; cum *t* 19, 8, cum *r* 20, 19 cum a^2 45, 1 cum gr^3 (Gryphiano 3) in 4, 3.

5) Gemblac. in Pacuvii Fragm. 61, 19 sqq. sigla β^1 notatur, ibidem Bruil. β^2.

6) cum 2 consentit 209, 9. Coloniensis 111, 10, Tosanus 185, 1.

7) Gronov. in illo codice etiam malas lectiones commendat e. gr. 186. 6, ubi 'pedes' omittit, 203, 2 'verum euntem illum'. eundem Klotz nuper (Prooemium Cic. Vol. I, p. V) 'longe praestantissimum' appellavit; nec tamen quicquam inde recipere licuit, quod in aliis codd. non esset.

sinis 7695, 7699, 7740, 7741, 7743, 7744, 7745 = *p* 2, 4, 8, 9, 11, 12, 13, Vindobonensi 32 saeculi XIII et XIV libris et his recentioribus Lugdunensi 2 (l^2) Rhedigerano 3 (ϱ^3) Dresdensi (δ). bonas lectiones ex his plerumque consentientibus excerptas invenimus 15, 9, 18, 7, 19, 9 et 14, 28, 1, 32, 14, 33, 7, 38, 11, 40, 4, 69, 10, 74, 3, 76, 8, 77, 5, 78, 7, 87, 7, 89, 4 et 7, 92, 5 et 8, 94, 5, 95, 8, 96, 1, 101, 2, 4 et 8, 107, 2 et 4, 108, 1, 109, 4, 110, 15, 114, 4, 115, 7 et 9, 117, 2, 119, 1, 125, 7, 132, 10, 145, 5, 156, 20, 177, 6, 179, 6 et 14, 182, 6, 185, 1, 195, 13, (196, 20), 201, 15, 203, 9, 10, 206, 2, 209, 9, 14, 210, 13. [1]) huius familiae est Windbergensis quoque nunc Monacensis (*g*) saec. XIII, qui quartum librum inde a 143, 14 habet.

Iam transeamus ad codices mixtae originis, quorum διορϑωταὶ ex libris diversis novam recensionem instituerunt: in eorum turba excellit Turicensis saec. XII (*t*) plerumque faciens cum familia secunda, pauca ex prima, satis multa ex tertia referens atque inde maiorem lacunarum partem expletam[2]). praeterea multa nova hic invenies partim probabilia, ut 15, 13, 18, 1, 23, 1, 31, 21, 38, 11, 52, 22, 99, 11, 118, 17, 122, 10, 128, 2, 138, 7, 161, 14, 172, 7, 190, 12, 200, 15, 206, 4; partim spernenda, quorum haec pauca ex multis sufficiant: 35, 1, 36, 6, 44, 7, 92, 2, 96, 17, 101, 8 et 10, 112, 4, 165, 4, 186, 1. cognati huic codici sunt Lugdunensis 3 (l^3) [3]) et is cuius lectiones margo Cratandrinae editionis habet ($\varkappa$), remotiore gradu Vratislaviensis (*v*); primae familiae usum aliquem, set frequentiorem tertiae prodit Duisburgensis (*d*) [4]) unde descriptus est Lugdunensis 4 (l^4); ei similis videtur Pal. 3 et Cortia-

---

1) peculiaria bona codicis *b* vide 16, 11, 83, 8, 174, 4; cod. ϱ^3 11, 5, 36, 17, 147, 8, (cum *e* consentit solus 65, 9, 183, 17); cod. δ 95, 9, 192, 18.

2) restant lacunae 16, 11, 29, 15, 56, 6, 122, 3, 123, 3, 139, 13, 144, 2 et 13, 188, 11.

3) ex l^3 duximus correctiones 167, 1, 193, 7, ex *v* 8, 8, 99, 13, is solus congruit cum *e* 10, 2, 159, 21; cum *h* 31, 3; cum ϱ^2 15, 4, 178, 6.

4) vide lectiones inde repetitas 75, 16, 86, 4, 114, 21, 126. 2. et, ubi *r* adstipulatur 6, 1, 89, 16, ubi *c*, 15, 4, ubi *p* 157, 20, ubi μ 28, 19. ex χ est 67, 9 et commune cum *r* 60, 1 cum l^2 175, 10.

nus (χ). idem convenit in Trossianum (r),[1] cuius quasi satellites dixerim Rhedigeranum 1 (ϱ^1),[2] Oxoniensem 1,[3] Pal. 1. Parisinum 6 (7738), Vindobonensem 31 (ω^3), Persinianum (209, 9 cum *r* facit addito 'iacent'), etiam Vossianum 2 (vo^2),[4] etsi nullus eorum vestigia principis presse sequatur. solitarium dicas Lugdunensem 1,[5] et dissimile par ceteris codd. Bambergensem 421 (*c*) et Rhedigeranum 2 (ϱ^2)[6]. recentiorem etiam conformationem eam habemus, quae ex libris, qui iam ipsi hybridae sunt, *t* et *r* nova confusione orta est; quam repraesentant Opizianus (nunc Berolinensis) *o*,[7] Ratisbonensis (nunc Monacensis) φ,[8] Vossianus tertius vo^3, Pal. 5. sive Pithoeanus, et quem aliquot locis a Suffrido Petri inspectum esse narrat Gruterus. ex codice huius generis facta est versio Graeca particulae III, 29—40.[9] recentissumi denique sunt Ultraiectinus (τ) et Zuiccaviensis (γ) plane consentientes,[10] set hic alter desinit 74 in verbis 'argumentari et' ille integer est. codex ille aut simillumus certe in curanda ea editione pervetusta, cuius mentionem facit Orelli Ind. Edd. scr. Cic. p. 223, vs. 19—27. carentis indice et anni et typographi usurpatus esse

1) cf. 82, 4; in locis iam notatis habet quae *k,n,d,*χ, 122, 10 cum ϱ^1, 123, 16 cum *o* solus praebet verum.

2) propria eius vide 31, 7, 118, 11, 122, 5. commune cum l^1 172, 15, cum *c* 94, 2 cum φ 119, 2.

3) consensum reperimus e. g. 64, 8, 66, 12, 90, 13, 109, 17; profuit 93, 16.

4) profuit 21, 18, 111, 4, 123, 16 et 155 cum *pv*.

5) cf. eum 202, 3 et cum ϱ^1 facientem 172, 15.

6) sua habet *c* 90, 18, 93, 15, 111, 12, 161, 16; cum *e* communia 157, 21, 160, 1, 190, 8; cum π 164, 8, cum *v* 159, 21, cum ϱ^1 94, 2. cod. ϱ^2 vide 191, 5, ac nescio an sequendus fuerit 25, 3: recte cum *v* facit 15, 4, 175, 7, 178, 6. cum *e* 161, 9.

7) cf. 115, 15, 183, 18 et accedente *t* 52, 22, φ 72, 7, *c* 101, 11. duobus m,l^2 24, 1.

8) hunc doctissumus quidam vir exaravit et suas, ut videtur, correctiones intulit; ex iis probabiles videbantur 17, 7, 41, 1, 79, 17, 91, 12, 124, 4, 131, 11, 165, 16, 173, 4; in 31, 21 lectionem codicis *t*, in 180, 9 k^2, in 87, 7, *a*, in 72, 7 et 119, 2 *o* sequitur. vo^3 praebuit 17, 20, 23, 19, 136, 18, cum $\varkappa$ facit 113, 6.

9) cf. Cat. Codd. mss. bibl. R. Bav. auct. Hardt III, 409 sqq.

10) cf. 18, 11.

videtur. iam inscriptio est eadem: 'Marci Tullii Ciceronis oratoris clarissimi ad Herennium Rhetoricorum novorum liber primus feliciter incipit.' parum differt titulus codicis Medicei Plut. L, 16, saec. XV.

De genere Harleianorum 2590, 2600, 2619, 3509 [1]) Augustani et Salisburgensis nunc Monacensium, [2]) duorum porro Lipsiensium [3]) alterius bibl. Univ. Lips. 1246 (λ^1), alterius bibl. senat. Lips. 96, (λ^2) Gryphiani 3 (*gr*[3]) [4]) duorum a Gronovio adhibitorum, [5]) denique Gothani [6]) nil statuo, nisi melioribus certe, quantum exempla ab amicis excerpta aut aliunde accepta docebant, non adnumerandos esse, ut facile tulerim accuratioris notitiae desiderium: quin plurumi restant codices adhuc ignoti, set optumis nostrorum aetate, si fides indicibus, non pares; nec verisimile bonitate nostros illis cedere, quandoquidem plerique, quos saeculis XII—XV scriptos novimus, cum vetustioribus minume possunt conferri. [7])

1) Harl. 2600, 2619, 3509. quantum quidem ex specimine (27, 1—14) colligere licet, nil memorabile habent, at 2590 haec nusquam praeterea inventa: 27,7 'ut quae, 8 et iudiciale, 9 ergo pr. abs. iudiciale priusquam ad alia transeamus. hoc in priore libro, 11 pr. est et diff. 12 propemodum hoc in libro absoluta, sed non parvam partem.'

2) Augustanum ex mea collatione 61, 19—63, 3, et ex paucis Schützii citationibus novi (cf. 15, 19, ubi signatur α); deterrimus videtur Salisburgensis(*s*), quem illa sola in particula inspexi.

3) Lipsiensem utrumque aliquot locis adhibuit Ernesti, ut 151, 1.

4) Gryphianus 3 in 4, 3 et 6, 5 cum cod. *n* conspirat, alibi, ut 9, 17, 33, 2 cum ϱ^1, saepius cum tertia familia. Mich. Brutus eum in primo libro undevicies, in altero semel, in quarto quater in tertio nusquam commemoravit. aput nos eius mentio restituatur 4, 3, ubi falso gr^1 laudatur, et 149, 4, ubi $g^{2\,3}$ mutetur in gr^3.

5) Gronoviani libri duo, quibus praeter Mediceum Jac. Gron. usus est, ex ipsius notis non possunt satis cognosci; 115, 1 alter cum *b*, alter cum *r* consentit.

6) Gothanum librum ne plane ignoraremus, fecit censor ed. Schütz. (Allg. Lit. Z. 1805, 366.) qui nonnullas inde profert lectiones, ut 10, 14 incipiemus, 10, 15 ab ambiguo, 13, 12 incipiemus unde, 18, 10 cum scriptum duas, 20, 15 'paterfamilias — esto' om. 21, 2 heredes quos iubet (ut *n*) 22, 4 comparatio concessio rem. cr. transl. cr.

7) antiqui libri, quos diligenter collatos vellem, sunt Medicei Pl. L, 20, saec. XI et LI, 10, saec. XI, idem, quo Varro de L. L. et Cic. p. Cluent. continentur, idem etiam, ni fallor, quem J. Gronovius tractavit. saec. XII sunt

Editiones antiquae contaminationis malam consuetudinem a recentibus codicibus traditam propagarunt; itaque vix quicquam debetur operae eorum, qui, ut Omnibonus Leonicenus, exeunte saec. XV identidem recudendae 'Rhetoricae novae' praefuerunt.[1]) etiam Aldina et Iuntina raro aliquid ad emendationem conferunt; multo plura Cratandrina et Lambiniana, deinde Ernestiana et Schütziana et melioribus iam copiis adhibitis, quibus tamen nimis cunctanter atque adeo timide utebatur, utraque Orelliana:[2]) omnes nil amplius consecutae sunt, quam ut recognitiones dicendae sint editionum principum: eae autem ex futilissumis libris mstis ductae sane non requirebant diligentem explorationem: posteriores ubi aliquam ex ingenio correctionem afferebant, indicavi, praeterea Cratandrinam citavi (Crat.) et maxume Lambinianam (Lamb.), ubi primum deseruerunt volgatam lectionem atque sic ipsae textum, qui ad nostra usque tempora mansit, constituerunt. Mich. Bentinus,[3]) qui Cratandrinam adornavit, codicibus utebatur nostrorum *t* et ϱ^1 similibus, Lambinus si non ipsis *r* et *o*, certe parum diversis.

In universum obfuit Cornificio, quo minus ad pristinum habitum revocaretur, triplex editorum incuria: rerum verborum codicum; atque rerum (h. e. potissumum rhetoricarum) neglectio prohibuit, quo minus sententiam saepissume laborantem restituerent, verborum, quo minus suum scriptori dicendi genus identidem obliteratum redderent, codicum, quo minus remedia in eis latentia investigarent aut iam prolata adhiberent. sic neque artis huius Cornificianae praestantia intellegi[4]) potuit, nec proprietas orationis in summa perspicuitate

---

Pl. L 10, 15, 30, 43 (olim Petrarcae), 44, XIII Pl. L. 29, XIV Pl. L. 5, 26, 40. multos huius et Parisinae bibliothecae codd. saec. XV non morabimur.

1) Mediolanensem editionem (med.) ao. 1474 editam aliquoties citavimus.

2) prior ed. anni 1826 Turicensis cod. (*t*) lectiones et excerpta ex libris Oxoniensibus (cf. Index edd. p. 212) habuit, posterior codd. *paftrb* collationes, de quibus supra egimus.

3) cf. Orell. Ind. edd. scr. Cic. 198.

4) cf. ut in quadraginta fere paginis subsistamus 8, 21, 9, 17, 10, 1, 12, 11, 15, 1 et 13, 18, 11, 19, 12, 20, 6, 11 et 19, 27, 10, 28, 11, 30, 17, 32, 13, 34, 19, 36, 6 et 15, 40, 13, 42, 2 et 12, 44, 7 et 8, 45, 1, 46, 16, 47, 13, 49, 8 et 10, 50, 8 et 9, 52, 22, 53, 3 et 15.

et accuratione brevissumae cognosci.[1]) relinquuntur sane loci complures, quibus aut plane deleta fuit genuina scripturae forma aut gravius depravata et ex tenuibus codicum vestigiis exploranda: talibus aliorum et nostri conatus subvenire debuerunt: eos in varietate lectionis notavimus diductis literis, ut a lectore statim distinguerentur ab iis emendationibus, quae totae sunt ex codicibus petitae.

---

1) cf. 18, 16. 21, 3. 22, 6 et 13, 24, 2 et 10, 29, 1 et 11, 32, 7, 33, 8, 34, 11. 35, 1. 13, 13, 46, 11, 18, 6, 83, 4, 98. 5, 124, 16. 144, 16.

INDEX CODICUM. (C.)

Prima familia (1).

1. Parisinus 7714 . . . *p*
2. Parisinus 7231 . . . *π*
3. Herbipolitanus . . . *h*
4. Gryphianus 1 . . . *gr*¹
5. Gryphianus 2 . . . *gr*²
6. Erfordiensis . . . . *e*
7. Cauchianus . . . . *k*

---

1) multis locis denuo inspectus est ab E. Millero, qui in hac quoque opera, ut olim in Philostratea, singulari benivolentia et comitate me adiuvit. codex fuerat Claudii Puteani, nec ignotus Pithoeo et Salmasio.

2) collationem huius codicis accepi a Celestino Port, scholae palaeographicae, quae floret Parisiis, olim alumno: primum librum speciminis causa E. Miller amicissume comparaverat. C. Port. in fine schedarum adscribit: 'codex non duodecimo scriptus seculo, ut vult catalogus Mss. bibl. reg. sed exeunte seculo, ut potius videtur, decimo'. insunt praeterea Fl. Vegetii epitoma, Iul. Solinus, Cic. Partitiones, J. Severianus, excerpta quaedam ex Quintil. lib. X, XII (fol. 60 sq.) Augustinus de musica, al. scriptor Catalogi in eo quoque errat vehementer, quod ait excerpta tantum esse in sex libros digesta: nimirum folia errore bibliopegi confusa hominem deceperunt.

3) Herbipolitanum excussit C. Halm v. cl. cf. Analecta Tulliana fasc. 1, Monach. 1852. quos in Praef. V exhibet titulos exornationum ut 'exclamatio gravis, interrogatio mediocris, adnominatio humilis' in plerisque meliorum familiarum codd. reperiuntur, suntque, opinor, ab aliquo magistro additi, qui singulas exornationes in tres figuras (cf. 133, 17) distribuere inutili opera conatus est. externa codicis forma describitur ab Oeggio, Chorographie von Würzburg I, 544, unde vide petita ap. Halm. l. c. p. IV.

4 et 5) Bruti horum librorum collatio adiecta est ed. Lugdunensi, quae 1570 aput Ant. Gryphium prodiit.

6) Erfordiensis nunc Berolinensis cod. a nescio quo V. D. in Graevii usum est collatus, varietatem lectionis inde enotatam invenimus in margine exemplaris ed. Wechel. Francof. 1590, quod asservatur in bibliotheca nostrate; hinc codicem iampridem noveram aliquanto melius quam ex Graevii notis (cf. ed. Graevio-Burmannianam Lugd. 1761 repetitam a F. Lindemanno Lips. 1828). at accuratius quam ab anonymo illo examinatus est nuper a Lud. Botzon studioso philol. rogante C. Halmio, qui pro sua in me amicitia lubenter permisit, ut schedis Botzoni uterer.

7) etiam huius cod. lectiones invenimus in Graeviana bibliotheca, quae maxumam partem olim in academicam nostratem translata est; adscriptae sunt margini ed. Cratandrinae 1528. J. Cauchius (J. van Cuyck) nomen suum in capite libri posuit sic: 'Jo. Cauchius Ant. f. Ultraiecti.' constat eum commentatum esse in Ciceronis Officia, Ausonium et Aemilium Probum et ao. 1566

8.	Emmeranus 1 . . .	μ	11.	Frisingensis	f
9.	Ingolstadiensis . . .	*ing*	12.	Emmeranus 2 . . .	n
			13.	Palatinus 4 . . .	*pal.* 4
	Secunda familia (2).		14.	Palatinus 6 . . .	*pal.* 6
			15.	Gemblacensis .	*gembl.* (β^1)
10.	Bambergensis 420 . .	a	16.	Bruilerensis .	. *bruil.* (β^2)

obiisse. Graevius multas bonas illius codicis lectiones omisit transcribere in annotationem suam, e. g. 102, 11. egregium ac fortasse eundem librum Canchius ad emendandam Inventionem adhibuit, vide nostra ad 24, 17, 56, 6.

8) Emmerani 1 (E^{59}) descriptionem affert etiam L. Janus in ed. Macrob. LXXIII. cognationem quandam huius cod. cum π prodit Severianus in utroque adiectus, illic cum inscriptione 'praecepta artis rhetoricae summatim collecta de multis ac sintomata a Julio Severano' hic 'pr. a. rh. s. c. d. m. ac sumpta a J. Severiano.' codicem ipsi contulimus, ut alterum Emm.

9) De Ingolstadiensi vide, quae supra narravimus p. XVII.

10) in extremo folio eius codicis haesit particula Controversiarum Senecae ed. Bip. 464. sq. unde has lectiones non immemorabiles excerpimus 'quomodo inquit fecisti — sacrilegi — liberis — habet accusator — quod magnus dolor? mater habes solacium — non fecit anus, non fecit orbata — irata inquit — frangatur — dampnat — etiam supersticiosos — coluit quae pro tam — verbum est. Pars altera. omnium vox — latere . . . . quisque se — quisquam suae et . . . . accusator — diis ipsis persequ. — de ira qui olim — violatae numinum magestates comp. — deberet et posset' in locis, quos punctis notavi, literae plane sunt detritae. hunc codicem incredibili neglegentia olim tractatum denuo conferre debuimus.

11) Frisingensis varietatem L. Spengel ita excerpserat, ut plerumque antiquiorem manum accurate indicaret, recentiorem omitteret, ea nunc a me adiecta est. ceterum cf. Ind. Lect. in acad. Turic. sem. hib. 1844, pag. III.

12) Emmeranus 2 (notatur F, 104) magna lacuna deformatur 135, 19 ('quam iste') usque ad 164, 1 ('adnuisset modo') ac desinit 185, 10 in media voce 'iugulaveritis'. praeter Cornificiana etiam libros de Inv. habet cum inscriptione olim pervolgata 'vetus rethorica Marci Tullii Ciceronis' a recentiore manu, ab eadem noster liber inscribitur rethorica nova M. T. Ciceronis. de ea appellatione non inscite egit H. Lagomarsini aput Bandinium Catal. Mss. Lat. bibl. Med. Laur. II, 488, sqq.

13) Palatinum quartum et sextum plane antiqua esse scriptura dicit Gruterus not. ad 6, 7.

15, 16) Gemblacensis et Bruilerensis nunc Bruxellenses sunt 5348, 4045, ille saec. XII, hic XI scriptus. specimen horum et Lovaniensis nunc Brux. 9999 acceptum refero viro amicissumo G. Roulez, professori Gandaviensi (cf. 61, 19 sqq.), atque ibi signavi β^1,β^2,β^3. aliis locis, ubi Guilielmii fide duos priores libros laudo, antiqua utor appellatione. Gruteri verba sunt: 'membranis Francisci Fabricii — usus fuit Gulielmius noster, qui praeterea adscripse-

17.	Coloniensis	*col.*	25.	Lugdunensis 2 . . .	l^2
18.	Tosanus	*tos.*	26.	Rhedigeranus 3 . . .	ϱ^3
19.	Liliensis	*lil.*	27.	Dresdensis	δ
20.	Mediceus	*m*	28.	Erlangensis 289 . . .	ε^1
21.	Gudianus	*g*	29.	Erlangensis 290 . . .	ε^2
22.	Augusteus	*a*	30.	Bruxellensis 9999 . .	β^3
23.	Parisinus 7696 . . .	p^1	31.	Fabricianus . . .	*fabr.*
	Tertia familia (3).		32.	Gronovianus unus.	
24.	Bambergensis 423 . .	*b*	33.	Harleianus 2510.	

rat ad oram libri sui variantes lectiones excerptas ex codice Gemblacensi, Erfurdiensi, Bruilerensi, denique e chartaceo Suffridi Petreii' (haec ad 3, 1). at Erfurdiensis nusquam ab eo mentio fit; contra legimus ad 6, 1 'monet Gulielmius exstare in Coloniensi 'et apparatur'. unde ipse Tosanum et Liliensem nosset, nescio an nusquam indicaverit, certe frustra quaesivi.

17, 18, 19) cf. notam antecedentem.

20) qui a Gronovio simpliciter Mediceus appellatur, esse videtur Pl. LIII, 10. cf. quae supra diximus p. XIX, 7.

21) Gudiani et Augustei specimen (61, 19 sqq.) amicae A. Fleckeiseni operae debeo.

23) Parisini 7696 varietatem indidem ductam accepi ab E. Millero, ut relicuorum Cornificii codicum, qui quidem ante saec. XV scripti sunt. ille eosdem praeterea ex rhetorico genere libros habet atque π (Par. 7231).

24) hunc quoque codicem denuo comparare oportuit, quippe cuius non spicilegium, set multis locis paene tota messis nobis relinqueretur. quaedam lectiones indicare videntur aut huius aut eius codicis, unde descriptus est, antiquissumum exemplum s. archetypum fuisse. (cf. 57, 19, 116, 5. 186, 15.)

25) Lugdunensis cognitio, ut relicuorum Lugdunensium librorum (L) et Vossianorum (V), Oudendorpio debetur, (cf. Ed. Graevio-Burmanniana p. 519—612) qui nil de iis attulit, nisi membranaceos esse excepto Lugd. 4, et quadruplicatos. non admodum accurate in ea opera versatus est, saepius enim codices non nominat, set numerat tantum, quam ob rem nos quoque coacti fuimus adnotare e. gr. 'in 3 O' h. e. in tribus Oudendorpianis aliquam lectionem inveniri; de codd. mediocri bonitate praeditis, et quorum similes alii extant melius collati, in tali indicatione licebat acquiescere.

26) Rhedigeranus 3 cum duobus aliis eius bibliothecae, praeterea Vratislaviensi et Dresdensi a F. Passovio et C. Schneidero collatus est, cf. descriptionem horum librorum in Museo cr. Vratisl. p. XIII sqq. hi quinque codd. ubi consentiunt, notantur litera P.

28) Erlangensium specimina accepi a Ch. G. I. Cron. v. cl. Harleianorum a G. Bunsen, dissertationis 'de Azania' scriptore, Vindobonensium ab H. Bonitz, celeb. professore Vindobonensi, Fabriciani lectiones Gruterus commemorat. quod auctor Catal. bibl. Harl. codicem 2510 saeculo X scriptum affirmat, contraria atque Parisini scriptor, qui cod. π saec. XII adtribuit, ratione videtur errasse. Bruxellensis 9999 iam supra mentionem feci.

34. Harleianus 2623.
35. Harleianus 2624.
36. Palatinus 2 . . . . *pal.* 2
37. Parisinus 7695 . . . p^2
38. Parisinus 7699 . . . p^4
39. Parisinus 7740 . . . p^8
40. Parisinus 7741 . . . p^9
41. Parisinus 7743 . . . p^{11}
42. Parisinus 7744 . . . p^{12}
43. Parisinus 7745 . . . p^{13}
44. Vindobonensis 32 . . ω^4
45. Vossianus 1 . . . . . vo^1
46. Windbergensis . . . *g*

Codices mixtae originis.

47. Turicensis . . . . . *t*
48. Lugdunensis 3 . . . l^3
49. Cratandrinus . . . . $\varkappa$
50. Vratislaviensis . . . *v*
51. Duisburgensis . . . *d*
52. Lugdunensis 4 . . . l^4
53. Palatinus 3 . . . $pal.^3$
54. Cortianus . . . . . . χ
55. Trossianus . . . . . . *r*
56. Rhedigeranus 1 . . . ϱ^1
57. Vossianus 2 . . . . vo^2
58. Oxoniensis 1 . . . . ox^1
59. Palatinus 1 . . . $pal.^1$
60. Vindobonensis 31 . . ω^3
61. Parisinus 7738 . . . p^6
62. Gronovianus alter.
63. Persinianus.
64. Lugdunensis 1 . . . l^1
65. Bambergensis 421 . . *c*

---

47) Turicensem cognovimus ex utraque Orelliana et Indice lect. supra citato acad. Turic. 1841. hic illic secunda manu correctus est (t^2) tertiam familiam restituente.

51) Duisburgensis a Graevio adhibitus hodie deperditus esse videtur, certe Bonnam cum ceteris codicibus olim Duisburgi asservatis non esse perlatum a viro cl. F. G. Welckero comperi: eius vicarius, nisi quom ipsum neglegentius inspexit collator, Lugd. 4 haberi potest, descriptus anno 1459.

55) Trossiani varietatem lect. publicatam a possessore invenias in 'Neue Jahrb. f. Philol. u. Paed. IX Supplem. 3. Heft.' p. 426 sqq. inde repetiit Baiter l. c.

56) Rhedigeranum 1 passim secunda manus correxit, ita ut vitiosam scripturam emendarit aut lectionem tertiae familiae intulerit.

58) Oxoniensium lectiones ex ed. Oxon. 1783 commemorat Orelli in ed. priore. Persinianum rarissume citat Gruterus.

65) Bambergensem 421 antea plane ignotum non sine fructu contulimus. nitidissume in membrana scriptus est saec. XIV. eius saepe similem invenimus esse Rhedigeranum 2. mirum de hoc ceterisque a F. Passovio et C. Schneidero excussis Orelli iudicium tulit 'usi sumus, ut par erat, Lindemanni quoque subsidiis, consulto contra abstinuimus a codd. Vratislaviensibus, quos Passovii discipuli ad Musei critici usum contulerunt, quippe qui libri essent omnes recentissimi atque lectionum confusionem, quae in his Tullii scriptis sic satis molesta est, ubique auxissent magis, quam vel semel composuissent'. (Praef. ed. alt. p. VI.) at Lindemanni iidem illi codd. fuerunt: Rhedig. 2 aput Lindem. est B. et is ipse ab Orellio ad 193, 13 adhibitus, nec abstinuit eo 187, 7, nec 211, 4 et alibi; aliquantum conferre eos libros ad emen-

66. Rhedigeranus 2 . . . ϱ^2
67. Opizianus . . . . . . *o*
68. Ratisbonensis . . . . φ
69. Vossianus 3 . . . . *vo*^{3}
70. Palatinus 5 . . . *pal.*^{5}
71. Suffridi Petreii liber.
72. Ultraiectinus . . . . τ
73. Zuiccaviensis . . . . γ
74. Mediceus Plut. L, 16.

Codices incertae originis.

75. Parisinus 7698 . . . p^3
76. Parisinus 7715 . . . p^5
77. Parisinus 7739 . . . p^7
78. Parisinus 7740 . . . p^{10}
79. Vindobonensis 29 . . ω^1
80. Vindobonensis 30 . . ω^2
81. Vindobonensis 33 . . ω^5
82. Harleianus 2590.
83. Harleianus 2619.
84. Harleianus 6349.
85. Augustanus . . . *aug*(α)
86. Salisburgensis . . . *s*
87. Lipsiensis 1240 . . . λ^1
88. Lipsiensis 96 . . . . λ^2

---

dationem notae nostrae p. XX, 1, 3; XXI, 2, 6; docere possunt; denique non omnes sunt recentissumi, set Rhed. 1, 2 saec. XIV exarati.

67) 'est Berolinensis membranaceus saec. XV numero 98 signatus, qui olim clarissimi poetae Martini Opitzii fuerat' ait C. Halm Anal. Fasc. I, p. IX.

68) Ratisbonensem nunc Monacensem ipse contuli. membranaceus est, ao. 1438 scriptus, quod subscriptio docet.

70) Pithoeus tres Palatinos contulit, pal. 4 et 6 opinor, et hos quidem non multis locis, satis diligenter eum, qui a Grutero Pal. 5 appellatur; varietas adlita est ed. Argentoratensis 1581 exemplari, quod nostras bibliotheca academica possidet: in titulo legitur 'P. Pithoei Luyerii. haec editio correctior Lutetiana 1566 fol.' sero animadvertimus annotationem in fine Cornificianorum: 'collatus cum tribus exemplaribus Palatinis Germanis' atque sic eundem esse pal. 5 cum Pithoeano. collator non satis diligenter suos codices distinxit; quin uno loco Parisinum 7714 s. Puteanum adhibuit (9, 10 — 10, 8), itaque eum Pithoeanum appellat Graevius, cui ad manus fuit illud Argentoratensis exemplar.

71) Suffridi Petreii librum perraro a Grutero commemoratum tamen superioribus comparari posse lectiones quaedam consentientes docent.

72) Ultraiectini primas paginas accurate comparatas v. cl. S. Karsten prof. universitatis Ultraiectinae humanissume nobis suppeditavit; praeterea passim in ed. Graeviana citatur. Zuiccaviensis, cuius lectiones Lindemann edidit, idem esse videtur, quem Graevius olim possedit. cum utroque consentire Mediceum Pl. L, 16 ex sola inscriptione conclusimus.

85) Augustani aliquoties mentio fit a Schützio; hunc et Salisb. contuli ipse in fragmento Pacuvii, in eodem Lipsienses vir amicissumus A. Westermann.

89) hic Gryphianus M. Bruto est Gr. A.

89. Gryphianus 3 . . . . gr^3 91. Oxoniensis 2 . . . . . ox^2
90. Gothanus.

---

91) duo plerumque Oxonienses laudantur ab Orellio ex ed. Clarendoniana, nonnusquam plurium illic notatur consensus, quibus tamen accuratius distinguendis operae pretium fieri non videbatur.

Notabit lector, h^1 h^2, p^1 p^2, π^1 π^2, e^1 e^2, k^1 k^2, μ^1 μ^2, a^1 a^2, f^1 f^2, n^1 n^2, t^1 t^2, r^1 r^2 indicare priorem et alteram eiusdem codicis (*hpπekμafntr*) manum; reliquis codicibus numerum adiectum, ut l^{1234}, vo^{123} ϱ^{123} gr^{123} etc. diversos codices significare, quorum descriptio supra exhibetur. ubi specimina codd. Parisinorum exhibentur p. 61, 19 sqq. — 63, 3, Par. 7714 simplici litera p notatur, Par. 7696 est p^1, 7698 p^2 etc., alibi p^2 Par. 7714 ab antiquiore, p^3 eundem a recentiore manu correctum indicat.

CORNIFICI

RHETORICORUM AD C. HERENNIUM

LIBRI IIII.

CORNIFICI RHETORICORUM AD C. HERENNIUM

LIBER I.

Etsi negotiis familiaribus inpediti vix satis otium studio I 1
suppeditare possumus, et id ipsum, quod datur oti, lubentius in philosophia consumere consuevimus, tamen tua nos, C. Herenni, voluntas conmovit, ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse laborem nos putares; et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa velle cognoscere rhetoricam intellegebamus: non enim in se parum fructus habet copia dicendi et commoditas orationis, si recta intellegentia et definita animi moderatione gubernetur. quas ob res illa, quae Graeci scriptores inanis adrogantiae causa sibi adsumpserunt, reliquimus: nam illi, ne parum multa scisse viderentur, ea conquisiverunt, quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur; nos ea, quae videbantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus. non enim spe quaestus aut gloria conmoti venimus ad

---

1. in neg. *pcb* inped. ϱ^{1} ocium *eμc* otii *n* studio om. *μa*^{1}*f* 2. possimus *r*ϱ^{1} et ipsum *a*^{1}*fr* ipsum om. *n* 3. censuimus *c* tua nos tamen *τ* tua t. nos *c* tamen tua nos ϱ^{2} ^{c}g. her. *e* (sic) g. her. 2 gai her. 3 (*a*^{2}) o her. *p* 5. ant *add.* μ^{2} fug. laborem nos *en* nos fug. lab. *τγ.Pith.* fug. lab. *φ* fug. nos lab. ϛ 6. et om. *n* susc. hoc neg. *bδ* 7. reth. *μfacτ* intelleg. *fa* (sic ubique) 8. non in se parum fr. habet *e* non enim in se parum fr. hab. *prc*,3.ϱ^{1}*l*^{13} *vo*^{12} non enim parum in se habet fr. 2 (*μ*)*t* non enim par. fr. hab. *τ* non enim par. fr. in se hab. *φ* 9. animi moderatione *ecbφ* mod. an. ϛ (Lamb.) 10. illam quam *μ* 11. sibi om. *c* assumpserunt *e*,3 assumpsere *μ*,2,*trφτ* relinquimus *pr*,3,*φ* 12. scisse multa *c* videantur *e* ea quae *e* conquesiverunt *c* 13. nihil ad propositum att. *τ*, pal.^{1}, ^{1}*ox* cogn. videretur *τc* nos ea *eμ*,2,*t* nos autem *p* nos quidem ea ϱ^{3} nos autem ea ϛ 14. quidebantur *n* quae videbamus ϱ^{2} quae putavimus *τ* ad orationem *n* assumpsimus *r*, Lamb. 15. gloriae *eknrdl*^{14},*vo*^{1}

scribendum, quem ad modum ceteri, set ut industria nostra tuae morem geramus voluntati. nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, si te unum illud monuerimus, artem sine adsiduitate dicendi non multum iuvare: ut intellegas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem adcommodari oportere.

II 2 Oratoris officium est, de iis rebus posse dicere, quae res ad usum civilem moribus ac legibus constitutae sunt, cum adsensione auditorum, quoad eius fieri poterit. tria sunt genera causarum, quae recipere debet orator: demonstrativum deliberativum iudiciale. demonstrativum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut vituperationem; deliberativum est, *quod est in consultatione*, quod habet in se suasionem et dissuasionem; iudiciale est, *quod positum est in controversia*, quod habet accusationem aut petitionem cum defensione: nunc quas res oratorem habere oporteat, docebimus, deinde has causas quo modo tractari conveniat,
3 ostendemus. oportet igitur esse in oratore inventionem dispositionem elocutionem memoriam pronuntiationem. inventio est excogitatio rerum verarum aut veri similium, quae

---

2. voluntatis at nunc *r* longua sum. or. *c* sum. longa or. *r* sum. or. longa *n* 3. de rhetorica *o* incipiamus *d* si te *gr.* [1] si te (superscr. 'vel sed') *n* sed te *d* sed si te ς illud unum μ,2, *tr*τ ϱ^{23} id (om. 'unum') *c* 5. praec. rat. τ 6. commodari μ,2 (commodare *f*, i ead. man.) accommodare ϱ^{1},*v* 7. iis *o*φ hiis ϱ^{3}*v* his ς 8. moribus legibus *e* mor. ac leg. *p*μ,2,*tr* mor. et leg. *c*ϱ^{1},l^{13},3 9. auditoris *d* eius om. *n* potuit *c* genera sunt *pc*,3 10. demonstr. — iudiciale om. f^{1}, add. a^{1} demonstr. — vituperationem om. ϱ^{1} (m. pr.) 11. et iud. *d*$\gamma\tau$ attribuitur τ 12. aut vit. μ,2*t* et vit. *e* vel vit. ς 13. quod est in consultatione quod habet 1,2,*trb* (consulatione f^{1}) quod habet in consultacione *c* quod in, cons. positum quod habet ϱ^{12} quod positum in cons. habet τ quod positum est et quod *d* (sic) quod in cons. positum hab. ς (Lamb.) 14. quod positum est in controversia quod habet μ,2 quod pos. est in contr. et quod hab. *pc*$l^{13}\varrho^{1}$*V*,3 quod pos. est in contr. et hab. *c* quod pos. in contr. hab. *o* 15. in se acc. vel pet. *o* acc. cum defensione aut petitionem cum recusatione *n* 16. nunc autem quas *r* op. or. hab. μ or. op. hab. ϱ^{2} docebimus et quo modo 2,ϱ^{2} 17. deinde has causas quom. *e*φ^{2} (et quom. eas caus. φ^{1}) deinde quom. has causas ς tractare tl^{3} vo^{1} oporteat vel conveniat *p* 18. in or. esse τ*v* Lamb. esse in oratorem *nc* 19. et pron. φ*v* 20. inventione excog. rerum ver. aut veris. *n*

causam probabilem reddant; dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quo quidque loco sit conlocandum; elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem adcommodatio; memoria est firma animi rerum et verborum et dispositionis perceptio; pronuntiatio est vocis voltus gestus moderatio cum venustate. haec omnia tribus rebus adsequi poterimus: arte imitatione exercitatione. ars est praeceptio, quae dat certam viam rationemque dicendi; imitatio est, qua inpellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo velimus esse; exercitatio est adsiduus usus consuetudoque dicendi.

Quoniam demonstratum est, quas causas oratorem recipere, quas res habere conveniret, nunc, quem ad modum ad orationem possint officia oratoris adcommodari, dicendum videtur. inventio in sex partis orationis consumitur: in exor- III 4
dium narrationem divisionem confirmationem confutationem conclusionem. exordium est principium orationis, per quod

---

1. reddunt *fv* vel distr. *r* 2. rerum inventarum *φ* (hoc 'inv.' superse.) demonstrant *e* quo quidque loco *kt* quo quidque loco quid quibusque locis *e* quid quibusque locis $p\tau v o^3$ quid quibus in locis *cov* $\gamma\rho^1$, Lamb. quid quibus locis *ς* locis conveniat et quo collocandum sit ρ^2 crat. 3. verborum ac sent. *en* verb. sententiarumque ρ^1 verborum $\mu a^1 f^1$ verb. et sent. *ς* 4. commodatio *μfa* ('adtribntio' a^1 superse.) rerum ac verborum *e* rerum verborum ρ^1(pr. m.) rerum verborumque *rc* verb. disp. $\tau l^1\ v o^1 \rho^2 v$ 5. disp. receptio $\mu/^1$ disp. praeceptio *n* 6. voltus ρ^3 vultus et gest. *τ* in tr. *r* 7. et exerc. *δτφ* exortatione (erci) *e* (corr. m. alt.) 8. perceptio $e\mu a^1 f$ disserendi *e* 9. inpell. *af* ρ^{12} cum om. *τ* dicendi ratione *μaf* pal.². gembl. aut aliqu. *μ* 10. valeamus *ptc*,3,*φτ* usus ass. *r* 12. quoniam dem. 1,2 quoniam ergo dem. *ko*,a^2,3 quoniam igitur dem. *ττc* rec. oportet *vτ* 13. quas res *e* quasque res *ς* conveniat *erocbδ* convenit l^2 quemadmodum ad orationem possint officia oratoris accommodari $ent\rho^{23}$ qu. poss. ad or. orat. off. acc. *cφ* qu. ad or. poss. orat. off. acc. l^3 qu. off. orat. ad or. acc. poss. bvo^3 qu. possit ad or. orat. officium acc. *r* qu. ad rationem possint officia orationis acc. *μ,f* (oratoris m. alt.) qu. ad rationem possit (*n* eras.) offitium oratoris ('toris' in rasura) acc. a^1 (alt. m.: ad orationem) qu. poss. oratio ad rationem oratoris officii acc. *p*, pal ².l^{124},vo^1 qu. possint ad orationem rat. off. acc. *δ* qu. ad inventionem possint orat. off. acc. pal.¹ 15. in sex partes cons. $ek^1\mu af$ in sex orationis partes *c* cons. exord. *μ*.2,*r*, Lamb. cons. in exord. *etpco*,3 16. narrationis *e* confut. et concl. *τφ*

animus auditoris constituitur ad audiendum; narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio; divisio est, per quam aperimus, quid conveniat, quid in controvorsia sit, et per quam exponimus, quibus de rebus simus dicturi; confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum adseveratione; confutatio est contrariorum locorum dissolutio; conclusio est artificiosus terminus orationis.

Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inventionis rationem adcommodaremus, de exordio primum dicendum videtur.

5 Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causae considerandum est. genera causarum sunt quattuor: honestum turpe dubium humile. honestum causae genus putatur, quom aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere, ut pro viro forti, contra paricidam; turpe genus intellegitur, quom aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis; dubium genus est, quom habet in se causa et honestatis et turpitudinis partem; humile genus est, quom

IV 6 contempta res adfertur. quom haec ita sint, conveniet exordiorum rationem ad causae genus adcommodari.

---

1. auditoris rdl^4 aud. aut iudicis *fn* aud. vel iudicis ς constituitur rdl^4 const. et apparatur μ,2*c* const. vel app. ς (Lamb.) 2. proinde ut gest. add. b^2 (mg.) 3. per quod *e* quid conv. aperim. *n* exponimus vel aperimus ϱ^1 aperimus producti sumus (cf. 9) μ, add. mg. omissa et quid in contr. $n\varphi$ 4. sit per quam μ et per quod *e* simus dicturi μ,2,τ dicturi sumus φ simus acturi *ek*, *ptc*, 3, *LV*,^{2}*ox* 5. arg. nostr. *p* asseveratione, suprasc. assertione *n* assertatione *d* 7. orat. term. 3, Lamb. 8. oratoriis *n* 10. ad inventiones *c* 11. videtur dic. *c* 12. causa vero pos. *r* commodius et facilius rdl^4 ϱ^1 13. est cons. *epf* (non *a*) $tb\varrho^{13}$ 14. dubium et hum. $\varphi\tau$ genus causae $\tau\varrho^1$ 15. computatur μf (sill. 'com' erasa in *a*) tum put. $n\varrho^1$ esse put. ϱ^2 defendimus id *e* defendemus id δ 16. aut oppugn. $epbl^2$ vo^3,φ obpugnabimus $b\varrho^3\delta$ illud oppugn. *v* 17. opp. debere vid. *eo* opp. vid. deb. $r\tau$ forte $\mu a^1/t$ 18. causae genus *c* gen. causae ϱ^2 opp. res *r* 19. est om. *f* causa honest. $r\tau\varrho^{12}$, Lamb. causam hon. ϱ^3 cum in se causa partim hon. turp. habet *c* 20. partes *e* genus est causae l^4 gen. erit μaf gen. causae erit φ 21. contemptibilis *c* affertur 2 ante affertur *e* l^1 vo^{13} *co* $b\varrho^3$ ante fertur pl^{234} vo^2 ϱ^1 $\tau\varphi$, Pith. convenit $ncv\varphi$ exordii rationem tl^3vo^1 exordium et narrationem l^2 22. commodari μaf

Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Graece *προοίμιον* appellatur; insinuatio, quae *ἔφοδος* nominatur. principium est, quom statim animum auditoris nobis idoneum reddimus ad audiendum. id ita sumitur, ut attentos ut docilis ut benivolos auditores habere possimus. si genus causae dubium habebimus, a benivolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit; sin humile genus erit causae, faciemus attentos; sin turpe causae genus erit, insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus, qua re advorsarios criminando benivolentiam captare possimus. si honestum causae genus erit, licebit recte vel uti vel non uti principio: si uti volemus, aut id oportebit ostendere, qua re causa sit honesta, aut breviter, quibus de rebus simus dicturi, exponere. sin principio uti nolemus, ab lege ab scriptura ab aliquo nostrae causae adiumento principium capere oportebit.

Quoniam igitur docilem attentum benivolum auditorem habere volumus, quo modo quidque confici possit, aperiemus: 7
docilis auditores habere poterimus, si summam causae breviter exponemus et si attentos eos faciemus; nam docilis est,

1. sunt duo *t* 2. prohemium $ept\tau b\varrho^{23}v\varphi$ prohoemium *μa* prohomemium *f* proemium $n\varrho^{1}$ vocatur *n* appell. insin. *e* app. et ins. ς epodos *C* (aepodos *a* opdos. f^{1}) 3. quod st. ϱ^{1} quo st. vo^{1} animum aud. *e* aud. an. ς 4. id assumitur *n* id sumitur $\mu a^{1}f$ 5. benivolos *efancobL,V,φ* (sic ubique) causae genus *t* 6. habemus *r* 7. illa pars turp. 2.*r* pars illa turp. *t* turp. pars illa *τ* si hum. *τ* erit genus $b\varrho^{123}\tau v$ genus om. l^{1} gen. erit 8. causae om. vo^{3}, Lamb. gen. caus. *c* 9. de qua p. dic. *c* habet post 'capt. possimus' de q. p. docebimus *n* 10. adversarium *c* 11. capere *μτ* carpere f^{1} si hon. 1,2,*tocτφ* sin hon. ς caus. gen. erit om. *e* genus causae 3 12. aut uti aut *n* si u. principio vol. *τ*, Lamb. volumus *pc* velimus $r\varrho^{1}$ aut om. *δ* 14. sumus $l^{4}\varrho^{2}\varphi$ ostendere l^{4} sin $entb\varrho^{2}\delta$, Lamb. si ς uti princ. *r* 15. ab lege ab scr. $enprcbl^{2}vo^{2}$ ab lege a scr. μafl^{13} ab lege aut ab scr. l^{4} (alt. m.) ϱ^{1} a lege vel a scr. *τ* a lege a scr. a narratione *φ* (sic) 'a narr.' Lamb. ser. ab aliquo *eo,V* ser. aut al. ϱ^{3} ser. aut ab al. ς aliquo nostrae $ep^{1}b\delta\varrho^{3}$ al. firmissimo nostrae ς 17. qu. ergo *b* att. beniv. *eb* beniv. att. ς audit. hab. vol. $pbo\varrho^{13}v$ aud. hab. possumus *e* aud. vol. habere *μ*,2.*tr*,ϱ^{2} 18. quodque $al^{34}\tau$ effici $l^{4}vo^{2}\delta$ efficere *b* fieri ϱ^{1} 19. possumus *e* breviter om. $\mu f^{1}n$ 20. eos om. *μ*,2.*φ* docile *e* doceles *ab* (sic) est qui $e^{2}ptbl^{123}$,*V* est quod e^{1} est is qui *fc*, a (ubi 'is' div. atram.) est ille

qui attente vult audire. attentos habebimus, si pollicebimur, nos de rebus magnis novis inusitatis verba facturos, aut de iis rebus, quae ad rem puplicam pertineant, aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad deorum inmortalium religionem; et si rogabimus, ut attente audiant; et si numero exponemus

V 8 res, quibus de rebus dicturi sumus. benivolos auditores facere quattuor modis possumus; ab nostra, ab advorsariorum nostrorum, ab auditorum persona, ab rebus ipsis. ab nostra persona benivolentiam contrahemus, si nostrum officium sine adrogantia laudabimus, atque in rem puplicam quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos ipsos, qui audient, aliquid referemus, dum haec omnia ad eam ipsam rem, qua de agitur, sint adcommodata. item si nostra incommoda proferemus: inopiam solitudinem calamitatem; et si orabimus, ut nobis sint auxilio; et simul ostendemus, nos in aliis spem noluisse habere. ab advorsariorum persona benivolentia captabitur, si eos in odium in invidiam in contemptionem adducemus. in odium rapiemus, si quod eorum spurce superbe perfidiose crudeliter confidenter malitiose flagitiose factum proferemus; in invidiam trahemus, si vim si potentiam factionem divitias eloquentiam nobilitatem clientelas ho-

---

qui $l^4\tau\varrho^3$ 1. qui ante vult μa^1 att. autem hab. *c* 2. de iis reb. *o* de hiis reb. $\tau\varrho^3$ de his reb. $c\mu a\tau\varrho^1$ de reb. iis $r\varphi$ de reb. his $fn\varrho^2$ 3. publ. rem *p* eos ad ipsos l^1 4. quod aud. e^1 audiunt $erl^3\varphi$ audiant l^2 audierint *n* ad om. *e* religionem pietatem fnl^1vo^1,a^2 rel. aut piet. $r\tau$ Lamb. rel. et piet. l^3 5. audiantur *c* 6. res quibus de rebus $afcol^2V,\varphi$ res de quibus rebus *b* res de quibus $e\varrho^2$ res quibus *n* simus *p* 7. poterimus 2,*r* ab nostra $rcb\varrho^{13}v$ (⁵ O) nostra μa^1f a nostra persona a^2r ab om. μaf^1 adv. nostrorum $e\mu anptobl^{123}V,\varrho^{123}$ adv. (om. 'nostr.') $fr\varphi$ 8. et ab aud. $r\varrho^1\varphi$ aut aud. ϱ^3 aud. μaf ab rebus *v* a rebus $envo^1,\varphi$ rebus *af* et ab rebus *b* et a reb. ϛ 9. officium nostrum *e* 10. atque — amicos om. *e* atque in remp. $pb\varrho^3\delta^2$ aut in remp. ϛ 11. fuimus a^2 12. audient μa audiunt ϛ aliquid om. δ tum haec μ 13. qua de 2,*r* de qua ϛ 14. et orab. f^1 15. et simul $eb\varrho^{13}\varphi$ Lamb. et si simul $nr\varrho^2$ si simul *v* simul *af* et nos *maf* 16. noluisse spem ϱ^1co,3 17. captatur φ in odium et in inv. $n\varrho^2$ inv. in cont. *af* invidiam cont. $ptr\varrho^1$,3 inv. et cont. *e* contentionem *p* et in cont. ϱ^2 18. si quid $cl^4\varrho^1vb\varphi$ 19. perfidiose perniciose *e* 20. contrahemus *e* detrah. *r* si fact. *b* 21. div. vel incontinentiam *t* div. incontinentiam ('vel eloquentiam' suprasc.) *k* div. eloquentiam incontinentiam *r* div. incont. ϛ Sc.: d i v. e l o q u e n t i a m

spitium sodalitatem adfinitates advorsariorum proferemus, et his adiumentis magis quam veritate eos confidere aperiemus; in contemptionem adducemus, si inertiam ignaviam desidiam luxuriam advorsariorum proferemus. ab auditorum persona benivolentia conligetur, si res eorum fortiter sapienter mansuete magnifice iudicatas proferemus et si, quae de iis existumatio, quae iudici expectatio sit, aperiemus. ab rebus ipsis benivolum eeficiemus auditorem, si nostram causam laudando tollemus, advorsariorum per contemptionem deprimemus.

Deinceps de insinuatione aperiendum est. tria sunt tem- VI 9
pora, in quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut quom turpem causam habemus, hoc est, quom ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut quom animus auditoris persuasus esse videtur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut quom defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt. si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab advorsariis, et esse indigna aut nefaria: deinde quom diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem *aut de minore aut de maiore* proferemus, deinde ad nostram causam pede-

---

clientelam *c* 1. et his — proferemus (4) om. *e* 2. veritate *epμ*,2,*r* veritati ϛ (Lamb.) 3. si ign. *c* 4. ipsorum prof. ^1ox et ab aud. *a* 5. benivolentiam colligemus *r* benivolentia colligitur $p\varrho^1$,3,*φ* ben. captatur nvo^2 ben. ducitur l^1 sapienter fort. *n* 6. prof. siquae a^1f prof. sic que *μ* de iis *oφ* de hiis ϱ^3v de his ϛ estim. *n* exist. sit *p* 7. sit exsp. *r* 9. extollemus *nocbφ* 10. de insinuationibus *μanφ* aperiundum Lvo^{12} aperiemus vo^3,ϱ^{23} dicendum 2*r*,*t* (suprasc. 'aperiendum') utendum (suprasc. 'aperiendum') *b* 11. in quibus *e to* vo^1,ϱ^2v 12. tibi sunt ϱ^2v 13. cum causa res *c* 14. esse vid. *he* vid. esse ϛ iis *o* hiis ϱ^3 his ϛ 15. quae e^2 quod e^1 aut cum — dix. om. *e* defensus *πμ* est om. h^1,v aud. eos 2,$t\varrho^2v$ 16. dixere *a* 17. rem non hominem *hpπ*,2,vo^3; *μ*, (ubi μ^2 mg. add.: 'vel hominem non rem') hominem non rem aut rem non hominem $e\varrho^{23}v$ rem non hominem hom. non rem *ocb* (^4O) rem non hom. aut bonum non rem ϱ^1 (pr. m.) non rem, rem non hominem *φ* expectari *hπnrc* 18. dicuntur *t* 19. nefaria proferemus (med. om.) *e* 20. factum esse *n* reliquorum (a suprasc.) *n* (sic) 21. simili de causa l^{34} de eadem re l^4 aut de min. aut de mai. $h\pi\mu^2c$ aut de min. aut mai. $p\mu^1v$ aut de mai. aut de min. *tφ* 22. proferamus *f*

temptim accedemus et similitudinem conferemus; aut negabimus, nos de advorsariis aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione verborum. si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio advorsariorum fidem auditoribus fecerit: — neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat — ergo si fidem factam putabimus, his rebus nos insinuabimus ad causam: de eo, quod advorsarii firmissumum sibi adiumentum putaverint, primum nos dicturos pollicebimur; ab advorsarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrume dixerit; dubitatione utemur, quid potissumum dicamus, aut quoi loco primum respondeamus, cum adfirmatione; si defessi erunt audiendo, *ab* aliqua re, quae risum movere possit, *ab* apologo fabula veri simili imitatione depravatione invorsione abiectione suspitione inrisione stultitia superlatione conlectione literarum mutatione; praeterea expectatione similitudine novitate historia versu alicuius inter-

1. pedetemptim 1,2,3,ϱ^2 pedetentim *e* accedamus — conferamus *f* proferemus *a* aut neg. *n* aut si neg. *afr* item si (suprasc. 'aut') neg. μ item si neg. ς 2. aut aliqua *ev* aut de al. ς Sc.: a l i q u a dicituros *h* 3. si pers. est aud. *c* 4. fuerit id est om. 1 (add. $p^2\mu^2$) fidem om. h^1f^1 5. non om. *n* poterunt h^1 possumus h^2 7. his rebus nos *eπμ noφ* his rebus h^1 8. scilicet de eo μ firm. — adversarii om. π 9. putaverint *pe*, Lamb. putaverint μ (sic) putarint ς 10. ab 1 aut ab ς ut ab *e* et ab ϱ^1 11. dixit *c* dix. dubit. 1 dix. aut dub. ς ('aut' add. $p^2\mu^2$) 12. quo loco 1 ('vel cui' μ^2) cum adfirmatione *h* cum aff. *epπ,μ* ('vel admiratione' μ^2) cum admiratione vel affirmatione l^2 cum adm. vel confirmatione *v* cum ammiratione *b* cum ad mir. ς 13. sin def. *b* erint *h* quae summov. μ^1 14. possit, incipiemus $\varphi\lambda,^1ox$ poss. apologo ϱ^3 apologo fabula *πμfnφ* ap. aut fabula $l^2\varrho^3$ ap. vel fab. *p* veresimili *h* vel ver. *p* immutatione *pπ* $gr^{12}.an$ inmutatione *μf* immutacione *b* vel mutatione $r^2\varrho^2$ vel imitatione l^2vo^1 imitatione sententiae vo^2 depravat *h* depravata *bδ* vel depravata r^2 prava depravatione ϱ^2 15. abici a suspicione *h* abicia suspic. gr^1 abiecta susp. gr^2 a suspitione *epπ,a,f* (ubi 'a susp.' in rasura), l^2vo^1 assuptione μ^1 ('vel a suspicione' μ^2) suspitione *n* ambiguo a suspit. *o* ab ambiguo suspic. *b* ab ambiguo abiectione susp. $t\varphi l^{134}vo^2$ Sc.: a b i e c t i o n e s u s p. irrisione — mutat. om. π 16 superatione *h,2,tr* ϱ^1 (pr. m.) separatione *pk* vel su separatione μ (sic) seperatione *e* et superatione ϱ^2 exsuperatione *c*,3 Sc.: s u p e r l a t i o n e collectione $hepk\varrho^2\varphi$ collecione μ collatione ς aut lit. *d* litt. imitatione abiectione mut. ^3O litt. imitatione *n* 17. similitudine turpi *h* versu aliter ac parati fue-

pellatione aut adrisione; aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos; nos non eodem modo, ut ceteri soleant, verba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi simus, .breviter exponemus. inter insinuationem et principium hoc inter- VII 11 est: principium huius modi debet esse, ut statim aperte rationibus, quibus perscripsimus, aut benivolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem, at insinuatio eius modi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendo pervenire possimus. verum hae res *utilitates* tametsi in tota oratione sunt conparandae, hoc est, ut auditores sese perpetuo nobis attentos docilis benivolos praebeant, tamen id per exordium causae maxime conparandum est.

Nunc, ne quando vitioso exordio utamur, quae vitia vitanda sint, docebo: in exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo ut usitata verborum consuetudo, ut non adparata oratio videatur esse. vitiosum exordium est, quod in pluris causas potest adcommodari, quod volgare dicitur; item vitiosum est, quo nihilo minus advorsarius potest uti, quod commune appellatur; item illud, quo advorsarius poterit ex contrario uti; item vitiosum est, quod nimium adparatis

---

rimus nos esse dicturos ab alicuius int. aut adrisione, nos non 1. versu si promiserimus al. ac p. f. n. e. dict. aut ab alic. int. a. arr. nos non μ^2 (add. 'si promiserimus' et 'aut'), 2 (om. 'ab') 1. derisione *t* arrisione si promiserimus *r* $o\varphi e$,*t* (deris.) 3 aliter quam ϱ^2 2. nos om. *t* non om. a^1 aut nos φ soleut *e* verba om. *r* 3. sol. videre $\mu^2 af$ sol. facere *nr* ib. dicturi *t* sumus 1,*a* $o\varphi$ 4. inter sinuationem π inter in sinuacionem μ (sic) interest quod $c\varphi$. Lamb. interest quia γ 5. eiusm. $eLV\varrho^1$ aperte ϱ^3 apertis ς 6. perscribsimus *h* praescribimus π praescripsimus $b\varrho^3\varphi$ aut beniv. om. f^1a^1 7. aut ins. $e\mu$ ac ins. ϱ^1 huiusm. $hnc\, vo^{12}\varrho^{23}$ esse deb. $n\varrho^3$ 8. simulationem *t* omnia illa $ebc\varrho^3$ 9. ad om. *t* eaudem *e* indicendicendi μ opere venire *C* (opere pervenire $k\varrho^2\delta$) in dicendo pervenire Lambin. 10. hae res *he* haec tres μ hae tres ς etsi *n* racione $b\delta$ 11. sint comp. *n* aud. esse μ^1 12. reddant *c* tamen om. a^1 13. maximae causae π 14. vitiose h^2 15. sunt $hfntrl^{123}vo^{13}v$ docebis b^1 doc. exord. $hep^1\pi k$ 16. levis $b\varrho^3$ et ^{1} (pr. m.) ut us. $he\pi k\mu\, ct\varphi\varrho^1$, ^4O et us. ς 17. or. vid. esse 1,$ntro\varrho^{12}v$ vid. or. esse 3 or. vid. *af* est om. μ 18. volg. ϱ^3 19. est om. *n* quod μ (sic) quod *he*,ϱ^1 (pr. m.) 20. apell. *hb* 21. ex contr. om. f^1. Ad verba 'ex contr.' 'levi facta mutatione' add. *r* 'breviter com-

verbis conpositum aut nimium longum est, et quod non ex ipsa causa natum videtur, ut proprie cohaereat cum narratione; et quod neque benivolum neque docilem neque attentum facit
VIII auditorem. de exordio satis erit dictum: deinceps ad narrationem transeamus.

12 Narrationum tria genera sunt: unum est, quom exponimus rem gestam et unum quidque trahimus ad utilitatem nostram vincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est; alterum genus narrationis est, quod intercurrit non numquam fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius adparationis causa; tertium genus est id, quod a causa civili remotum est, in quo tamen exerceri convenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis
13 tractare possimus. eius narrationis duo genera sunt: unum, quod in negotiis, alterum, quod in personis positum est. id, quod in negotiorum expositione positum est, tris habet partis: fabulam historiam argumentum. fabula est, quae neque veras neque veri similis continet res, ut eae sunt, quae tragoediis traditae sunt; historia est gesta res, set ab aetatis nostrae memoria remota; argumentum est ficta res,

---

mutato' add. δ 'leviter commutato' φ 'leviter paucis commutatis' v apparatis $hp^1\pi,a^1$ (ante ras.) apparate $ep^2,2,txc$ apparatis verbis 3 accurate et apparate l^3 apparatis comp. est verbis ϱ^1 apparate comp. est vel nimium appositis verbis ϱ^2 1. nimis rdl^4 2. natum est $n\varrho^1$ natum esse videatur *a* (sic) n. e. videatur ς coh. c. narrationis sententia *r* coh. c. sententia narrationis, quod separatum vocatur in quo etiam translatum includitur *n* coh. c. narratione. quod s. v. i. q. e. t. concluditur φ 3. faciat $nr\varphi$ 4. satis est dict. *n* satis dict. est δ 6. sunt tr. gen. $t\varrho^2$ tr. sunt gen. *nco*,3 unum est exp. h^1 unum quo exp. $b\delta$ Lamb. un. cum exp. ϱ^3 exponemus — trahemus $b\delta$ 7. res gestas *a* unumquidque $h\mu^1$ (o suprasc. μ^2) Lamb. unum quodque ς 9. est narr. $e\pi\mu n$ 10. aut fid. $\varrho^{13}v\delta$ 11. apparationis causa $1,cl^3\varrho^2$ app. aut laudationis causa $\mu^2,2,t\varrho^1v$ et *c* (ubi 'a. l. c.' minutis litt. suprsc.), app. aut ('vel' suprsc.) laud. caus. $r\varphi$ laud. aut app. causa *o* app. delectationis aut amplificationis causa *b* ('del. aut ampl.' *mg*) 12. a om. $\pi fa^1\varrho^1$ est, in quo ς Fo: e s t , s e t i n q u o 13. cuius π genera sunt 1,2 sunt gen. ς sunt duae partes una — altera — posita est *c* 18. veras res *r* res continet $2,t\varrho^{23}v$ continet *r* eae sunt $hp\pi,\mu$ ('ee sunt') *o* hae sunt $eaftcvo^1\varrho^1$ hae res sunt *n* 19. quae a trag. $vo^2\gamma$ quae in trag. b^2 tragedis 3 tragydiis *h* gesta res $hp\pi\mu afr\varrho^{123}v$ res gesta $enocb\varphi$ ab om. h^1 et ab *c* 20. remota mem. *b* mem. rem. est φ arg. come-

quae tamen fieri potuit, velut argumenta comoediarum. illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festivitatem animorum dissimilitudinem gravitatem levitatem spem metum suspitionem desiderium dissimulationem misericordiam rerum varietates fortunae conmutationem insperatum incommodum subitam laetitiam iucundum exitum rerum. verum haec in exercendo transigentur: illud, quod ad veritatem pertinet, quo modo tractari conveniat, aperiemus.

Tris convenit res habere narrationem: ut brevis ut dilu- IX 14
cida ut veri similis sit; quae quoniam fieri oportere scimus, quem ad modum faciamus, cognoscendum est. rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit, et si non ab ultumo initio repetere volemus, et si summatim, non particulatim narrabimus, et si non ad extremum, set usque eo, quo opus erit, persequemur, et si transitionibus nullis utemur, et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere, et si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus, quod genus: si dicam, me ex provincia redisse, profectum quoque in provinciam intellegatur; et omnino non modo id, quod obest, set etiam id, quod neque obest neque adiuvat, satius est praeterire; et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est; etiam ne id, quod semel diximus, deinceps dicamus, hoc modo:

---

diarum *ao* arg. comediorum *b* arg. comdiarum μ^2 arg. trag. $hep\pi\mu^1$ 1. potest $b\delta$ velud $f\varrho^1c\delta$ 2. genus om. *r* 4. lenitatem $h^2\pi\mu fo\varrho^2b\delta$ levit. om. h^1 suspitionem $he\pi ano$ 5. varietatem nl^{13} commutationes $dl^4vo^2\varrho^2$, Lamb. 7. transigetur $ep\pi af$ transigitur *h* 8. appe^{di}riemus μ 9. tres res conv. habere μt delucida *h* lucida evo^2 lucida *k* (sic) 10. op. fieri *n* 13. non om. f^1n 15. fuerit tl^1 16. non om. *f* 17. exponemus $ar\varrho^{13}vc$ Lamb. exponemus *f* 18. sint 1,*afvb* scire $hp^1\mu^1k$ possit *f* ea retic. (om. ‘nos’) dl^4 19. quod genus $p^1e\pi\mu f$ q. gen. est ϛ (quod gen. est hoc modo l^4) dicamus *f* dicatur *v* provintia $hen\varphi$ redisse — provinciam add. μ^2 20. et homini 1 22. et nobis *t* idem om. $h\pi$ dic. idem *b* cav. etiam est $b\varrho^1$ Cav. (sic lit. unciali) est etiam $afc\varrho^2$ 23. etiam om. *n* ne id quod semel diximus *eafr* ne quid nobis semel id quod supra dix. $hp\pi$ ne semel id quod supra dix. t,μ (‘id semel quod’) ne id quod semel dix. supra *n* ne id quod supra semel dix. 3 ne id q. semel supra dix. $\varphi c\varrho^2$ ne id q. supra dix. $v\lambda$ saepius deinc. dl^4

Athenis Megaram vesperi advenit Simo:
ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini:
insidias postquam fecit, vim in loco attulit.

15 item dilucide narrabimus, si, ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur — hic erit considerandum, ne quid perturbate ne quid nove dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultumo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus — et si sequemur ea, quae de brevitate praecepta sunt; nam quo brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.
16 veri similis narratio erit, si, ut mos ut opinio ut natura postulat, dicemus; si spatia temporum personarum dignitates consiliorum rationes locorum opportunitates constabunt; ne refelli possit aut temporis parum fuisse aut causam nullam aut locum idoneum non fuisse aut homines ipsos facere aut pati non potuisse. si vera res erit, nihilo minus haec omnia narrando conservanda sunt, nam saepe veritas, nisi haec servata sint, fidem facere non potest; sin erit ficta, eo magis erunt conservanda. de iis

1. mecarum 1 (meeenarum *h*) $a^1 f$ mechatum — mecharum *n* megara φo^2 megaram o^1 megarum ϛ (megarim vo^1) si modo *h* simo adv. *r* venit ^1ox 2. meg. adv. *t* fec. insid. *ob* virginis h,a^1 3. postq. ins. *o* intulit $or^2l^3\varrho^3$ 4. quicquid 1 (quidquid *e*), 2, $r\varrho^{12}\delta$ quid *v* quodque *b* 5. primum om. $f^1l^3vo^1$ 6. conserv. ord. *r* servab. 2 ut om. $a\varrho^{12}$ 7. sic erit *c* pert. ne quid novi 1(μ^1) pert. ne quid contorte ne quid ambigue 2,*t* pert. ne qu. nove ne qu. ambigue $r\varrho^{23}$, ^5O pert. ne q. contorte ne q. nove ne q. amb. $bv\delta,\varrho^1$ ('neve vel amb.') pert. n. q. nove n. q. contorte n. q. amb. *c* pert. ne q. cont. n. q. nove n. q. amb. φ 8. neque in $t\varrho^{12}$ rem om. *t* aliam *tr* rem *f* 9. proseq. φ 10. pertranseamus f^1 ('vel praetereamus' alt. m.) et sic πl^4, Lamb. sequitur (e) f^1 ('mur' alt. m.) quaerimus *h* persequemur 3(^6O) prosequemur *o* 11. sunt praec. $fnt\varrho^2$ nam — fiet om. *t* brevior est *fnr* brev. et t^2 delucidior *h* lucidior *b* eo add. h^2 om. 1, a^1f 12. cognito h^1 narr. fiet erl^3 narr. est l^1vo^1 15. oport. *heb* possint *htr* 17. sed vera f^1 18. nihil omninos *h* omnia om. *n* narr. servanda *h* obs. s. narr. φ 19. conservanda *b* conservata $vo^3\varrho^1$ non poterit *afc* $n\varrho^{12}$ fac. non poterit vo^3 videtur non potuisse fieri φ 20. sin erit ficta $\pi\varrho^3v$ sin vero erit ficta *t* sin erunt ficta $pk\mu anc\varrho^2$ si autem erunt ficta φ sin erunt facta *e* sin erunt fictae hf,ϱ^1 (alt. m.) b^2 si erunt fictae δ sin erunt factae ϱ^1 (pr. m.) b^1 eo om. *e*

rebus caute confligendum est, quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas videbitur interfuisse.

Adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuatione nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus, ut plane certam viam et perspicuam rationem exordiorum haberemus. nunc, quod relicuom est, quoniam de X
rerum inventione disputandum est, in qua singulare consumitur oratoris officium, dabimus operam, ut nihilo minus industrie, quae rei utilitas postulabat, quaesisse videamur, si prius pauca de causarum divisione dixerimus.

Causarum divisio in duas partis distributa est: primum 17
enim re narrata debemus aperire, quid nobis conveniat cum advorsariis, quid in controvorsia sit; si ea, quae utilia nobis erunt, convenient, hoc modo: interfectam esse ab Oreste matrem, convenit mihi cum advorsariis; iurene fecerit et licueritne facere, id est in controvorsia. item e contrario:

---

magis etiam cons. φ de hiis ϱ^3 his de vo^3 de his ς 1. confligendum $1f,a$ ('conflingendum') v confing. $ntbl^{23}vo^1\varrho^{23},r$ ('vel confringendum') con^{li}fing. c configned. φ (in ras.) tab. ab adversario aut. t 2. videtur d 4. nisi quae cdl^4 (plerique O.?) nisi quia ς de insinuatione cdl^{34},vo^3 (alt. m.)χ de insinuationibus ς nove $1,fn$ 5. eam $cdl^{34}vo^3\tau\chi$ eā *heb* ea $\pi\mu^1l^2$ eas ς soli $1.2.t\varphi$ solum r soli nos $c\chi$,3 nos soli $\varrho^2\tau$ propter α in om. f 6. orat. c 7. quia de ϱ^1 8. in quo $1,af$ tl^{12} in qua ς unicum l^2vo^2 9. officium $no\varphi^2cb$ officium vel artificium ϱ^1(alt. m.)2 artificium $1,aft\varphi^1l^{123}vo^{12}\varrho^3$ nihil ominus h nihil minus $ep\pi\mu$,2 industrie c industria n industriae ς 10. quae α quam ς postulabat ϱ^2v postulabit ς quesisse $e\mu$ 11. pauca om. 2(a^1) 12. divisione duas n distribuitur $dl^4\varrho^3$ 13. per narrata n Sc.: r e n a r r a t a per narrationem $1,f^1$ per narratione (erasa litera) a^1 post narrationem f^2rl^3v narrationem t perorata narratione a^2,t^2(mg.),co,3 cum adversario c cum adversariis quid in controversiis si ea quae utilia nobis erunt convenient hoc modo $1,\varphi$ ('in controversia relinquatur, si ea — hoc modo' φ 'relinquatur hoc modo' μ^2) cum adv. quid in c. sit si e. q. u. n. e. c. hoc modo $h^2tl^{12}vo^1\varrho^1,r$ ('quod in c.') cum adv. si ea — convenient quid in controversiis relinquatur hoc modo 2 (si ita — traversiis f^1) cum adv. si e. q. ut. sunt nobis conv. quid in c. relictum sit dl^{34},v vo^2 ('nobis ut. sunt'), 3, Lamb. cum adv. si ea q. ut. sint, nobis convenient. Deinde quid in c. rel. sit h. modo c 15. horeste $\mu,2,b\varphi$ horreste t 16. iure fec. l et om. $\mu andl^{34}vo^3$ 17. ei fac. rvo^3 id fac. l^3 in contr. id est f id in contr. est ϱ^2 in contr. est n (om. id) e contrariae e e contr. add. μ^2

Agamemnonem esse a Clytaemnestra occisum confitentur; quom id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse. deinde, quom hoc fecerimus, distributione uti debemus. ea dividitur in duas partes: enumerationem et expositionem. enumeratione utemur, quom dicemus numero, quot de rebus dicturi simus; eam plus quam trium partium numero non oportet esse, nam et periculosum est, ne quando plus minusve dicamus, et suspitionem adfert auditori meditationis et artifici, quae res fidem abrogat orationi. expositio est, quom res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breviter et apsolute.

18 Nunc ad confirmationem et confutationem transeamus. tota spes vincendi ratioque persuadendi posita est in confirmatione et confutatione. nam quom adiumenta nostra exposuerimus contrariaque dissolverimus, apsolute nimirum munus
XI oratorium confecerimus. utrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognoverimus. causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tris putavit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inventione, set ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito. constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione

---

1. a om. *π* clytemestra *hep* clitemestra *μan* clytomestra *f,t* ('clit.') a cl. occisum esse *b* 3. deb. uti *e* 4. partes in enum. c,b^2 5. quod *hpπμ* quo *e* sumus om. *a* 6. ea 1,2 num. non op. *hepπ* num. non op. esse *k* num. uti non op. *μ*,2 ('uti' eras. a^1) p^2 num. esse non op. *c*,3 esse num. non op. *r* num constare non op. *φ* num. contineri non op. $a^2,dl^{34}vo^{13},\varrho^{12}v\tau$ num. esse contineri non op. l^1 7. et om. *π* minus plusve *n* 8. aufert *e* afferat *φ* medit. aud. *n* 9. oratori $antrvo^{12}\varrho^1v$ Lamb. 'vel oratori' μ^2 orationis l^1 quibus de rebus 1,*φ* de q. reb. *kr* de q. *ς* 10. br. et aperte *c* 11. nunc ad confirmationem transeamus $1,2,t\varphi\varrho^{13}v\delta$ nunc ad conf. et confutationem tr. *b*, Lamb. nunc ad confutacionem et conf. tr. *c* nunc ad conf. tr. et ad confut. rdl^4 nunc — tr. om. ϱ^2 13. et in confut. $1,2,vo^3\varrho^{12}$ adiutamenta (vel i) *π* argum. a^2tr nostra adium. *bvδ* 14. contrariaque *μ* (sic) contrariumque *f* contrariaque a^2 15. fecerimus *r* 17. an quattuor *h* doctor 1,2, et pr. m.: $tr\varrho^1l^{12}vo^1$,3 doctor hermes l^1vo^1 (alt. m.),*φ* doct. heres ϱ^2 doct. hermestes t^2dl^4,l^2(alt. m.) doct. ermestes b^2 doct. thermestes r^2 doct. hermestres *c* hermes noster doctor *o* doctor (suprasc. marcus piso) ϱ^3 voltacilius plotius k^2 18. ut non *n* quidam (i) *h* detrahere *π* 19. singulari modo ac simpl. *n* singulare *μ* 20. dicere $c^1\varrho^1$ (pr. m.)$^2\delta$ bipart. *φ*

coniuncta. constitutiones itaque, ut antè diximus, tres sunt: coniecturalis legituma iuridicialis. coniecturalis est, quom de facto controvorsia est, hoc modo: Aiax in silva, postquam resciit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulixes intervenit, occisum conspicatur, e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento videt, capitis accersit. hic coniectura verum quaeritur; *de facto erit controvorsia*, ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur. legituma con- 19
stitutio est, quom ex scripto aliquid controvorsiae nascitur. ea dividitur in partis sex: scriptum et sententiam contrarias leges ambiguom definitionem translationem ratiocinationem. ex scripto et sententia nascitur controvorsia, quom videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo: si lex sit, quae iubeat eos, qui propter tempestatem navem reliquerint, omnia perdere, eorum navem ceteraque esse, si navis conservata sit, qui remanserint in nave: magnitudine tempestatis omnes perterriti navem reliquerunt et in scapham conscenderunt praeter unum aegrotum: is propter morbum exire et fugere non potuit. casu et fortuito navis in portum in-

---

1. tir. *πμcφ* 2. paratam *f* mei om. *o* 4. haec confirm. *hf* h. conform. ς Sc.: haec exornatio cum in *h* l. c̃. in μ^1 (sic) licet in ς(μ^2) Sc.: in pl. res om. *h* in mutas *hπ* iumutas p^1 atque inanimas ut transferatur *p* atq. inanima dum tr. *π* atq. inanimalia utru feratur *h* atq. inanimales ut tr. $k\mu^2$ atq. inanimatas transferatur ς (*e*; 'atq. inan.' om. tl^3) Sc.: transfertur 5. sed prof. 1 ('si' *h*),vo^2 tamen prof. μ^2,2,$to\varphi l^4$ $g\varrho^3$ prof. bl^3 multum bol^3 amplificationibus *h* 6. commiserationis $cl^2vo^3\varrho^3v$ commiseratione ς 7. res om. *vδ* plus om. *h* in significatione μ^1a 8. exub. tdl^4 exup. $e\pi a^2bc\varphi$ 9. per repet. quater l^1vo^1 abscisionem *hcπcoφbg* absciss. ς 10. qui *h* dict. est *ob* est om. *e* patiatur *h* 11. causa susp. *μ* testum quo *k* testam qua ς ('qui' $hp^1\mu^1$) 12. sibi om. dl^4 ign. pet. *c* relinquit *μfv* relinquat *b* 13. pluiasve *b* vel in pl. *o* sententiae accepisse acc. *h* sed acc. tamen $l^{14}vo^{12}\varrho^{12}$,3 sed acc. tantum $vo^3do\varphi$ sed tamen *v* sed tum *c* acc. om. *cv* 14. in unam *t* vide eos si dic. *h* si de eo dic. *toφg* si dic. de eo a^2 $bc\varrho^{123}v$. Lamb. 15. audierit μ^1 persp. *oφ* illum qui dl^4 qui in plur. *μ* qui plurima vo^3 qui multum *cv*,3 16. ambiguo hp^1 17. item 1,2(a^1),*g* ita ς hic l^4 18. repp. *h*,2 repetentur *b* facillime *t* 19. anim. adv. 1 ('av.' μ^1) ad anim. adv. μ^2,*a*.*f* ('ad animadv.') animadv. ς et mult. *c* 20. significatio est cum *pμ*.2,*toφ* significationemque *π* significationẽ cum *h* significationum cum *e* sign. fit cum ς

res, quae secuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspitione, ut si salsamentari filio dicas: quiesce tu, cuius pater cubitis emungi solebat; per abcisionem, si, quom incipimus aliquid dicere, praecidimus et ex eo, quod iam diximus, satis relinquitur suspitionis, sic: qui ista forma et aetate nuper alienae domi . . . nolo plura dicere; per similitudinem, quom aliqua re simili adlata nihil amplius dicimus, set ea significamus, quid sentiamus, hoc modo: noli, Saturnine, nimium populi frequentia fretus esse: inulti iacent Gracchi. haec exornatio plurumum festivitatis habet interdum et dignitatis: sinit enim quiddam tacito oratore ipso auditorem suspicari.

Brevitas est res ipsis tantum modo verbis necessariis 68 expedita, hoc modo: Lemnum praeteriens cepit, inde Thasi praesidium reliquit, post urbem Lysimachiam sustulit, inde pulsus in Hellespontum statim potitur Abydo. item: modo

---

1. sequantur 1(μ^1)$trbl^2vo^3$ consequuntur *c* tanta res *hπ* 2. suspicionē *h* salsamentari *hπ* filo *μ* 3. cubiti se mugire *h* cubiti se mugi *p* cubito mungere l^3 cubitis emungi $ep^2\pi\mu k$ cubito sese emungere *g* se cub. em. *c* cub. se em. ς abscisionem *heπtoφcgP* absciss. ς 4. incepimus $vo^3\delta$ incipiamus l^4 incipiemus $bl^2vo^1vc\varrho^{13}$ aliqua l^4 deinde pr. $a^2bl^{12}vo^{13}c$ praedic. *π* 5. dic. *h* 6. ex aet. *eπ* domui *μ*,2,*toφ* plus *r* 7. aliqua res p^1 aliquorum *h* coallata *t* coll. $l^3\delta$ abl. $l^2\varrho^1$ ill. ϱ^2 8. sed ea vo^1 sed eas ϱ^2 sed ex ea ς quod a^1t sentim. *t* saturnini ennium *h* saturnini aeniminm $p^1\pi$ 9. populis *hpπ* pop. om. l^2c renquentia *h* frequ. $a^2rl^{123}vo^{13}v\varrho^{12}.g\varrho^3$('fre. pop.') reverentia ς inulti iacent gr. *bcφ* inulti gr. iacent a^2g multi iac. gr. ϱ^{13} multi tac. gr. l^2 huiacent c. gr. *p* stultitiam c. gr. l^4 stultitiãcen gr. *h* stultitiam dicent gr. *π* stultitiam cerne gr. egr^1, gembl. bruil. stultitiam nosce gr. μ^1,*k*('noscent' sic corr.) stultitiam dinosce gr. vo^2 stultitiam nosce inulti gr. *r* stultitïae multi iacent gr. *δ* stultitia nosse inulti enim iacent gr. ϱ^2 stultitia g. gracci memento μ^2,2('c. grachi' *a*).*t*('stultitiam' supersc.) stultitiae memento gr. l^1 10. festivitationis *h* 11. sinunt 1,2 sunt *t* quid *h* tac. ore 1,2,*roφq* ipso $ep^1\pi\mu r^1$ ipsum ς('aud. ips.' $bvc\varrho^1$) 13. res verbis ips. *c* 14. exp. sic vo^3 cepit vim *c* thasi ba^2 thaui $hep^1\pi gr^{12}$,2,*t* taidi *μ* thabi p^2 ethani *k* thani vo^2 thapsi *oφ* tapsi l^2 tharsum l^3 tarsi *δ* 15. viminachium 1('vi inach.' *e* 'vimach.' μ^1) in arbium μ^2 timachium *a* inachium *f* inachiam *t* in machidum l^1 michium l^4 machinm *d* macidum vo^2 macedum l^3 machina ϱ^2 bithiniam $a^2bc\varphi.og$('bithyn.'),l^2vo^{13}('bithinn.'),ϱ^3('bithinia') Lysimachiam Spengel unde *c* 16. sulsus *hk* sulsus (u supersc.) *π* (sic) rursus $p\mu$,2(a^1) pulsus ς(*e*) ellespontum *acφ* abaditem $p^1\pi$ adabitem *he* abida item

consul quodam is deinde primus erat civitatis. *tum* proficiscitur in Asiam, deinde hostis est dictus, post inperator et populi Romani consul factus est. habet paucis conprehensa brevitas multarum rerum expeditionem; qua re adhibenda saepe est, quom aut res non egent longae orationis, aut tempus non sinit commorari.

LV Demonstratio est, quom ita verbis res exprimitur, ut geri negotium et res ante oculos esse videatur. id fieri poterit, si quae ante et post et in ipsa re facta erunt, conprehendemus, aut a rebus consequentibus aut circumninstantibus non recedemus, hoc modo: quod simul atque Gracchus aspexit, fluctuare populum verentem, ne ipse auctoritate conmotus sententia desisteret, iubet advocari contionem. iste interea scelere et malis cogitationibus redundans evolat e templo Iovis, stans oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga cum pluribus aliis ire celerius coepit. illi praeco faciebat

---

μ.2 t,ϱ^1(alt. m.) abide item p^2 abidi item bl^2cg abido. it. ϱ^1(pr. m.)^2o acido. it. φ Fo: inde Sestum in Hellesponto et statim potitur Abydum 1. quodam is deinde $p\pi$ quod his dicit *h* quondam iste deinde *e* quondam tribunus deinde μ qu. tr. is deinde ς(μ^2) erat om. h.2(a^1) tunc *r* tum ς proficitur *f* 2. in Africam φ hostis est dictus 1.$rdg\delta$ host. dict. est 2(a^1).*o* host. et exul d. est t,c(om. 'et'),ϱ^2('exulque'), h. d. est et exul φ e. e. h. est dict. ς(a^2) 3. et populorum 1.2(a^1),ro^3g postremo $c\varphi$,*E* et postremo ς et populi Romani Iunta factus est om. $\chi ro^{13}c\varrho^1r$.3 Fo: item proficiscitur — factus est môdoque exul vocatus deinde pr. e. civ. 4. adhibendum μ^1 5. est saepe *etrg* eget l^3o egebit $dl^4ro^4c\varrho^1$.3 6. sinet $he\pi\mu^1$ 7. ita verbis res expr. 1('idaubis r. exp.' μ^1).2.$to\varphi rb$ ita v. expr. res ϱ^2 res ipsa exp. verb. *c* ita res v. exp. ς ut geri et res π 9. si quis hp^1 et ante dl^4 ante rem *tr* et ipsa $f\varrho^2$ 10. aut si *r* ut si ϱ^2 seq. cl^2 aut a $l^3ro^{23}\varrho^1r\delta$ circumninstantibus $hp^1\pi$ circumst. ς 11. recedimus *ht* recedamus $a^1c\varrho^2$ quia sim. μ^1 quae sim. *h* ac Gr. $o\varphi$ usi exit hep^1 exit π aspexit *k* persp. l^2 prosp. ς(p^2) 12. auctoritate 1.2(a^1) auct. senatus ς a sent. $a^2rl^{134}c\varrho^{23}v\delta$ 13. advocari continet $hep^1\pi$ adv. continet se $p^2\mu$,2(a^1) cont. vocari $l^4\varrho^2o\varphi$ adv. cont. ς interea iste $bog\varrho^2$ ipse int. 1.2.$a^2trl^{34}vo^2$ 14. evocat $ep\pi\mu^1a^1$ evocato *h* evocatus $p^2f^2l^1vo^2$ templo *h* e templ. $ep\mu$,2,*to* $bc\varrho^{123}vg\varphi$ ex templo ς 15. stans 1.2,l^1vo^2og et stans dl^4 sudans $trbl^{23}vo^{13}c\varrho^{123}\varphi$ et sudans ς(δ) Fo: tum et torta $b\varrho^1$ cum torta μ^1 16. cum complurib. $bc\varrho^{123}$ aliis om. μ^2,2 ille $hp\mu^1\varrho^3$ praeceps μ^1 graco pr. *r* faciebat audiebat $hp\pi\mu^1$ aûd. fac. *e* fac. viam audieb. μ^2 fac. vim adieb. a^1f fac. viam adib. *t* viam fac. adib. l^1vo^2

audientiam; hic subsellium, quod erat in foro, calce premens dextera pedem defringit et hoc alios iubet idem facere. quom Gracchus deos inciperet precari, cursim isti inpetum faciunt et ex aliis alius partibus conmeant atque e populo unus 'fusus fuge', inquit 'Tiberi, non vides? respice inquam.' deinde vaga multitudo subito timore perterrita fugere coepit; at iste spumans ex ore scelus, anhelans ex intumo pectore crudelitatem contorquet brachium et dubitanti Graccho, quid esset, neque tamen locum, in quo constiterat, relinquenti, percutit tempus: ille nulla voce delibans insitam virtutem concidit tacitus; iste viri fortissumi miserando sanguine aspersus, quasi facinus praeclarissumum fecisset, circuminspectans et hilare sceleratam gratulantibus manum porrigens in templum Iovis contulit sese. haec exornatio plurumum prodest in 69

---

1. hic adiit subs. l^4 subs. quondam 1,a^1 subs. quod quidam *b* subs. quoddam ς seors *hep* scorc π (sic corr.) sors $\mu^2 f$ excors $\mu^1.a^2$(in ras.)l^1 Sc.: quod erat in foro galle 1,2 ('gallae' *he*) praesens 1('pres.' *he*).2(a^1) prensans l^1 prendensque vo^3 2. dextra $\varrho^3\varphi$ dextro l^1(alt. m.)$vo^1\varrho^2$ defringe *h* defringet $p\pi\mu$ confringens *g* defringere coepit *r* et hoc alios iub. idem 1,2('item' $p^2 f$),*trg* et h. id. al. iub. $o\varrho^2$ et h. id. iub. al. φ et al. h. i. iub. ς 4. et ex al. 1,2, $to\varphi rl^1vo^3g$ et al. *c* ex al. ς aliis alios π aliis alis *p* aliis aliis *he* aliis aliise μ^1 aliis aliisque $p^2\mu^2$,2.*rcg*.^3O aliis alii $a^2l^1vo^3\varrho^{13}\delta\varphi$ aliis atque aliis $t\varrho^2v$,Lamb. motant *h* (not. in ras.) commodant $ep^1\pi$ commendant μ^1 commeant $p^2\overline{\mu^2}$,2,$t^2l^1\delta g$.Lamb. convolant ς(t^1) Fo: conmetant un. e pop. *c* fusus fuge inquit videri *hp* hisus fuge inq. vid. μ fusu fuge inq. vid. $e\pi$ fuge fuge inq. tib. $bc\varrho^{13}\varphi$,*v*('tibi') fuge inq. 2.*g*,^3O fuge inq. tiberi $rol^4\varrho^{13}$.*t*('tiberim') fuge inq. gracche l^3 fuge inq. verbi fuge ϱ^2 Fo: fusi sumus, inq. Tiberi 5. nonne *g* inquiunt l^4vo^3 inquit iam l^{13} 6. sub mult. *c* cepit *hg* 7. spumas $he^1\delta$ spumam $ke^2a^2ro\varphi bl^2vo^{13}c\varrho^3vg$ telus μ^1 ex ore reiiciens $\varphi vo^{13}cv$,3,*og* ('de ore') ex ore anhelans reiiciens *r* ex ore ictus vo^2 anhelus *t* infimo 1(μ^1),$to\varphi rl$ $^{34}l^7c\varrho^{12}v$,3 9. tutum loc. *c* steterat hvo^3 10. nulla voce delabans insitam virtutem $he\pi$,μ^1 ('debellans') n. v. d. insita virtute $p\mu^2$,*t* nullam vocem d. insita virt. a^1 nulla voce delabens insita virtute dl^4,vo^2 ('insitam virt.') nulla voce delibans insita virtute l^3 nullam vocem d. i. virt. ϱ^2 nullam vocem edens insita virt. a^2,ς nulla v. delibans insitam virt. Victorius 11. isti μ^1 istic μ^2 fort. viri *e* 12. circuminspectans 1,2 circumsp. ς et om. $b\varrho^1v$ ei $hep\pi$ 13. illa re *h* hilariter μ^2,2,$t\delta g$,^4O hilaris $l^4o\varphi$ ad sceleratam $\mu^2 f$ acceler. *t* scelerata *hp* scelera *e* 14. cont. se δ valet ϱ^{12} prodest proponit ante oculos in ampl. a^2 (sic not.)

amplificanda et conmiseranda re huius modi enarrationibus: statuit enim rem totam et proponit ante oculos.

LVI Omnis rationes honestandae studiose conlegimus elocutionis, in quibus, Herenni, si te diligentius exercueris, et gravitatem et dignitatem et suavitatem habere in dicundo poteris, ut oratorie plane loquaris, ne nuda atque inornata inventio volgari sermone efferatur. nunc identidem nosmet ipsi nobis instemus, — res enim communis agitur — ut frequenter et adsidue consequamur artis rationem studio et exercitatione: quod alii cum molestia tribus de causis maxume faciunt, aut si quis, quicum lubenter exerceatur, non habeat, aut sibi diffisus sit, aut nescius, quam viam sequi debeat: quae a nobis apsunt omnes difficultates: nam et simul lubenter exercemur propter amicitiam, cuius initium cognatio fecit, cetera philosophiae ratio confirmavit; et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantum processimus, et alia sunt meliora,

1. amplificando. haec *h* conmis. *h* miseranda *rorφ* re in huiusm. $ol^{14}c\varrho^2\delta\varphi$ re et huiusm. *l* re et in huiusm. $vo^{13}\varrho^1 v$,3 narr. $o\varphi c\varrho^{12}r\delta y$ 2. rem to. on *hprcbg* tot. rem ς prope rem *l* et pon. *oφ* proponit $cpka^2/r\delta$. Lamb. reponit *h* prope poni μ^1 prope ponit ς 3. o. r. honestandae studiose collegimus loc. 1.2(ʽcollig.ʼ hu^2a^1 ʽloc.ʼ om. *f* ʽlocutionesʼ *h*)ϱ^2 o. loc. rat. hon. st. coll. *rh* om. r. honest. eloc. st. coll. *cq*,*o* (ʽloc.ʼ) 4. diligentius 1.2.*qgδ*.*ω* diligenter ς 5. ac dign. *μ* in secundo 1 (ʽseculoʼ μ^1) in loq. $p^2\mu^2$,2.$toq\,rl^{34}\varrho^2\delta$ et or. *μ* 6. loqueris *h* eloquaris l^1 inorn. loquaris si vero vulgari *h* 7. sermone esse ratur *h* sermone esse saturum *cp* ser. esset satura *π* serm. proferatur *μ*,2,$tro\varphi l^{134}vo^1\varrho^2r\delta y$ 8. innitemur *h* insistemus *o* 9. artis orationis *h* art. orationem *cpπμ*,2 exercitatio *h* exornatione μ^1 10. alicumolestia *p* aliis conmol. *h* aliquibus mol. *π* alicui mol. p^2 alicui molestiam μ^2,2(a^1).ϱ^2 tr. de c. cum mol. $bo\varrho^{13}v$ 11. si quicum $pc\mu^2$,2.tl^{13} si quocum f^2 si cum quibus *π* si quibuscum rl^4q si quibus tum *o* Se: si quis quicum de libenter exerceant *h* exerceatur μ^2a^1 exerceantur ς habeat $\mu''ft\delta$ habeant *cg* si id diff. sit $hcp\pi\mu a^1l^{13}ro^2\delta$ (ʽsi isʼ *π* ʽdiffidusʼ $hp^1\pi$) si sibi diff. sit ϱ^2 sibi si diffidunt $b\varrho^1$ si sibi diffidunt $v\varrho^3\varphi$ 12. aut nescius *cpπ*,2,$tl^{13}vo^2\varrho^{13}\varphi$ ta nesc. *h* a nesc. *μ* aut sit nesc. $l^4\varrho^2\delta$ aut nesciunt $b\varrho^{13}v$ aut si nesc. ς debeat $h^1c\pi\mu^2$,2,*t* debeant ς ab nobis *μ* 13. facultates *e* (sic corr. alt. m.) exerceamur $hcp^1\mu^1$ exercemus $l^1\varrho^1$ exercebimur $p^2\mu^2fog\varrho^2\varphi$ exercebuntur a^1 exercebimus $tl^{34}v$ libenter om. *hμ* 14. cum init. *h* cognitio 1,$a^1l^{13}vo^3$ facit 1 (ʽfuitʼ e^1),*V* $c\varrho^{12}v$,3 fecit μ^2.2.*t* 15. filosoph. *h* phyl.*μ* confirmabat *e* confirmavit $l^2\varrho^2\delta$ et de nobis $cg\varrho^{12}v$,3 propterquam *h* propterea quo μ^1 16. aliquantum $p\pi\mu l^1vo^1$ aliaquod *h* aliquantulum ς

quae multo intentius petimus in vita, ut, etsi non pervenerimus in dicendo, quo volumus, parva pars vitae perfectissumae desideretur; et viam, quam sequamur, habemus, propterea quod in his libris nihil praeteritum est rhetoricae praeceptionis. *demonstratum est enim, quo modo res in omnibus generibus causarum invenire oporteret: dictum est, quo pacto eas disponere conveniret: traditum est, qua ratione esset pronuntiandum: praeceptum est, qua meminisse possemus; demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio conpararetur: quae si sequemur, acute et cito reperiemus, distincte et ordine disponemus, graviter et venuste pronuntiabimus, firme et perpetue meminerimus, ornate et suaviter eloquemur. ergo amplius in arte rhetorica nihil est: haec omnia adipiscemur, si rationes praeceptionis diligentia consequemur exercitationis.*

1. multi *h* interius *h* incertius *e* incercius μ^{1} attentius $l^{13}vo^{1}\varrho^{23}v$ ut etsi $hep\pi,2(a^{1}),vo^{2}$ etsi $\mu^{1}l^{14}\varrho^{2}\varphi$ ut si $\mu^{2}tol^{3}g$ ut etiamsi $ϛ(a^{2})$ 2. parva om. $a^{1}g$ vitae oratoriae *t* 3. sequimur *h* 4. quam in his l. in pr. *h* 5. demonstr. — possemus om. π est in qu. *h* 6. invenire $hep^{1}trc\varrho^{1}v\varphi.3$ inveniri ϛ oporteat φ debeat *g* quo eas pacto $\varrho^{2}o\varphi$ ea *t* distribuere $o\varphi$ 7. convenit $her l^{13}$ conveniat $bo^{1}v\varphi$ esset om. l^{4} 8. praecent est *h* qua om. a^{1} quomodo l^{4} quae *e* qu.a *p* (sic) via om. $1.a/t$ possimus $hdl^{34}ogvo^{2}\varphi$ ostensum est *c* 9. comparetur $eal^{24}l'\varphi$. Lamb. quasi p^{1} quodsi *c* sequimur $p\pi\mu^{1}rvo^{23}c\varrho^{2}vb$ sequemur $el^{24}o\varphi$. Lamb. sequamur $tl^{3}vo^{1}$ exsequimur h^{2} exeq. μ^{2} 10. repperimus hp^{1} repperiemus $ep^{2}\mu$ reperiamus *b* ordine *epo* ornate $a^{2}l^{134}c\varrho^{23}.vo^{1}$ (pr. m.) ordinate ϛ 11. vetuste $he^{1}p^{1}\mu r$ pron. — suav. om. *t* perpetue $1,ro\varphi.^{4}O$ perpetuae *b* perpetuo ϛ 12. ordinate et suav. cl^{2} eloquimur $hb\varrho^{3}$ rethorice $t\varrho^{123}v$ reth. in est *h* concept. $p\pi\mu,2(a^{1})$ 14. consequamur $hfl^{14}vo^{3}o\varphi\varrho^{1}g$ persequem. a^{2} prosequim. ϱ^{3} cons. et exercitatione $a^{2}l^{4}vo^{13}c\varrho^{1}vg.3$

NOTAE.

I.

3, 1. satis otium. syntaxis est ut Verg. VII. 170. Gaius in Dig. § 1
XXXVIII, 1, 19 'ut satis tempus ad quaestum faciendum habeat'. 10. Graeci scriptores. quos dicat, incertum est; si Hermagoram, a Cicerone is e contrario laudatur Brut. 263, 271. de or. I. 145. — 15. gloria. cf. infra IV, 64 extr. Cic. Verr. II. 5. 130.

4, 3. lectionem sed si te noli cum Klotzio defendere ex Cic. Att. IV. 8, a, § 2 et similibus locis: ipse enim Cornif. ut h. l. loquitur I, 16 extr. 26 extr. 7. oratoris officium cf. Theonem I. 157: ἔργον ῥήτορος.
8. ad usum civilem. vid. Cic. de or. II. 68. Iul. Vict. 196. — 9. tria. 2
comparetur Cic. Inv. I, 7. or. 69. de or. I, 260. II. 5, 115. Quint. III, 3, fin. Anaximenes duo genera novit, contionale et iudiciale; species laudandi et vituperandi utrique generi admiscet: cf. ed. Spengel, 5, 4, cum not. p. 99 sq. Aristoteles demum induxit tertium, τὸ ἐπιδεικτικόν, quod Cic. de or. II, 45 omittere malit, relinquit tamen ib. 341. — 13 sq. hic nonnulla ex Cic. Inv. I. 7 translata sunt in codd. quod ipsa orationis forma cognoscitur: unus *n* etiam 15 illinc habet 'petitionem cum recusatione'. 17. has causas quo modo. 'causa' de toto genere accipe ut II, 1 'exposuimus, quas causas oratorem recipere oporteret' III, 10 'haec causa dividitur in laudem et vituperationem'.

5, 2. distributio rerum. qui codicem *φ* exaravit, supra scripsit 3
h. l. 'inventarum' ex Cic. Inv. I. 9. Spengel (M. G. A. 1846, 906) requirit 'excogitatarum' at satis intellegitur, quae res hic dicantur. quo quidque loco cf. infra III, 16. 3. ac sententiarum non recte in codd. $\mu^1 f^1 a^1$ omittitur: verborum enim ad inventionem accommodatio elegantiam et compositionem complectitur (cf. IV, 17, 18). praeterea dignitatem eam, quae in verborum exornatione sita est: relinquitur igitur altera, quae in sententiarum exornatione versatur: ea pars elocutionis omitti minume potuit nec a Cornificio nec a Cicerone, (Inv. I. 9) aput quem quod antiquissumi libri illis verbis carent, caruisseque videntur etiam ii, quibus Iul. Victor. 251 ed. Or. et Cassiodorus 370, 391 usi sunt, nil probat nisi antiquissumum vitium esse. vix opus est laudare Cic. de or. II. 36, 72; III, 96. 201; or. 81, 83. 95, 96. — 5. et dispositionis deest aput Cic. Inv. I, 9: 'memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem (retinendam) perceptio' tenebitur hic ratione a Quint. III, 3, 2 indicata: 'neque omnia, quae res postulet, dicere, neque suo quaeque loco poterimus nisi adiuvante memoria'. 9. artem et exercitationem coniungit Cic. p. Arch. 1, p. Coel. 45; imitationem commemorat de or. I, 156: 'exercitationes non tam artis indigent quam laboris, quibus in rebus habenda est ratio diligenter quos imitemur, quorum similes velimus esse' verbis usus

paene isdem atque Cornif. ea 'diligens ratio' neglegebatur ab Albutio, qui, ut narrat Senec. Contr. III. prooem. (199 Bip.) 'quem proxume dicentem commode audierat, imitari volebat'. **inpellimur ut velimus** periphrasis est = studiose conamur. 13. **quem ad modum – adcommodari.** locus a multis male intellectus, ignorantibus officia oratoris (inventionem. dispositionem etc.) accommodanda esse ad orationem, non orationem ad officia, at partes orationis (exordium, narrationem etc.) ad offi
1 cia, maxume inventionem. 16. de partium orationis enumeratione sufficiat laudasse Cic. de or. II, 80

6, 6. **locorum** cf. praeter tota Topica Cic. Part. or. 109 sqq. de or.
5 II, 163 sqq. etiam II, 54 eadem videtur esse vocabuli notio. 12. **causa posita.** sic Cic. p. Caec. 32: 'est haec res posita, quae ab adversario non negatur, Caecinam — pulsum prohibitumque esse vi coactis hominibus et armatis'. 13. quattuor genera causarum ne confundantur cum tribus generibus causarum statim addit, quae sint. alii quinque esse voluerunt, minus recte: quibuscum faciunt Cic. de Inv. I, 20. Quint. IV, 1, 40. ille l. c. ait: 'genera causarum sunt quinque: honestum admirabile humile anceps obscurum.' ei admirabile idem est, quod nostro turpe, conveniunt honestum humile anceps: obscurum autem nil impedit, quo minus in ceteris omnibus insit, nam cur nequeant talia esse, 'in quibus aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicita est'? 19. definitio addens, ni fallor, aliena profertur dubii generis a Cic. de Inv. I, 20: 'anceps, in quo aut iudicatio dubia est aut causa et honestatis et turpitudinis particeps' scilicet unius cuiusque causae, quae a iudice recipitur, iudicatio necessario dubia est. nil tamen obloquitur Victorinus p. 50 ed. Or. 'anceps, inquit, causa duobus modis est, si aut iudicatio dubia sit aut inhonestissima materia' (fo: inhonesti et honesti mixta
6 mat.) 22. **ad causae genus.** sic Cic. p. Lig. 10 Tuberonis patris prudentiam desiderat 'quod homo quom ingenio tum etiam doctrina excellens genus hoc causae quod esset non viderit' deinde significat esse admirabile i. e. turpe.

7, 2. De etymo voc. *προοίμιον* agit Anonymus Seguerianus p. 427 ed. Speng. Quint. IV, 1, 2 sq. *ἔφοδος* raro commemoratur aput technicos Graecos, vide Aphthon. progymn. 109, 12. 4. **ut attentos ut docilis ut benivolos.** triplex hic exordii finis a multis scriptoribus tractatur. quos laudat Speng. ad Anaxim. 54, 8 (195 sqq.), quibus addo Cic. Top. 97. Part. 28. in ea divisione poterat omitti *εὐμάθεια*, si quidem qui attentus idem est docilis; itaque duplici divisione Cic. utitur Phil. II, 10: 'alterum peto a vobis, ut me pro me dicentem benigne, alterum ipse efficiam, ut, contra illum quom dicam, attente audiatis'. **si genus — attentos** cf. Quint. IV, 1, 41. Cic. Inv. I, 21. — 11. **si honestum.** sententia eadem videtur fuisse aput Anaximenem 73, 1 sqq. ed. Sp. (Rhet. Gr. I. 228, 29 ed. Sp.) loco valde lacero et confuso, fortasse sic integrando: *τῷ μὲν εὖ διακειμένῳ περίεργον λέγειν, ἐὰν δὲ βούληται, συντόμως ὑπομνηστέον αὐτῆς· τῷ δὲ διαβεβλημένῳ ἐκ τοῦ παροιχομένου χρόνου ἢ τοῦ παρόντος τῷ πρὸς αὐτὸν ἢ πρὸς τὸν λό-*

γον τοὺς ἀκούοντας δυσχεραίνειν τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ ἐπ' ἐκείνων
εἴρηται, τὴν εὐμένειαν ποριστέον, ὁμοιοτρόπως δὲ καὶ τῷ μήτε εὖ μήτε
κακῶς διακειμένῳ. 9. similis sententia apud Quint. IV, 1, 44. 'si ni-
hil, quod nos adiuvet, erit, quaeramus, quid adversarium laedat: nam, ut
optabile est, plus favoris mereri, sic proxumum odii minus'. 19. si 7
summam causae b. exp. vide ad hanc praeceptionem Anaxim. 54, 16.
cum nota Sp. Quint. IV, 1, 34 qui affert principium Cluentianae, adda-
mus Div. in Caec. 1. Verr. I, 1, 1. — 20. cf. Cic. de Inv. I, 23. Quint.
IV, 1, 34.

8, 1. attentos — facturos cf. Cic. Part. 30. Quint. IV, 1, 33
laudatosque Speng. ad Anax. 54, 21, quibus adiiciatur Cic. p. Flacc. 3.
p. Rab. p. r. 4. — 3. de iis — pertinent, ut Demosthenes XXIV,
4 sq. L. l. Cic. l. c. 6. Cornif. hic ut plerumque in duobus primis
libris de solo iudiciali genere cogitat, prooemium deliberativi et demon-
strativi generis infra III, 7, 13 brevius absolvit. diligenter tractatum
ab Anaximene 41, 22 sqq. 7. quattuor modis. conspirant Aristot. 8
Rhet. III, 14, 7, Anaxim. 73, 12—23, An. Seg. 428, 5. quartus modus
omittitur a Cic. Part. 28, ubi res praetereuntur, non in Inv. I, 22, nec
de or. II, 321. Quint. IV, 1, 6 eadem divisione relata inutiliter adseri-
bit: 'personarum non est, ut plerique crediderunt, triplex tantum ratio ex
litigatore et adversario et iudice, nam exordium duci non numquam etiam
ab actore causae solet' quasi hic non vicariam reo operam praestet. 9.
si nostrum — laudabimus. cf. Anaxim. 73, 14. Quint. IV, 1, 13.
Cic. p. S. Rosc. 1. Div. in Caec. 2. 12. aliquid = aliqua ex parte,
vid. Halm ad Cic. p. Sest. 10. — 14. cf. Quint. IV, 1, 27. Cic. p. Mil.
4 sq. — 15. cf. Quint. IV, 1, 33. sententia, reum in aliis spem noluisse
habere, saepe invenitur, ut aput Antiph. I, 4. VI, 10. Lys. III, 2. — 17.
si eos in odium in invidiam in contemptionem adducemus.
non plane convenit Anaxim. 67, 3, qui *ὀργὴν φθόνον ἔχθραν* in ad-
versarios excitari vult, nec Isocrates XV, 31 *ἔχθρας* loco afferens *μῖσος*,
at Cicero paene ad verbum Inv. I, 22; eandemque divisionem habet Quint.
IV, 1, 14. exempla sint primi generis ex multis Isae. VIII, 2—4. Demosth.
XVIII, 16. XXXV, 1. Cic. p. S. Rosc. 6, 13. — si potentiam. mentio
eius, set non in prooemio invenitur aput Cic. p. Mur. 59. 'nolo accusa-
tor in iudicium potentiam adferat'. factionem divitias. utrumque tri-
buitur a Cicerone Verri I, 8, 15. a Dem. Midiae XXI, 138 sqq. hic qui-
dem extra prooemium. eloquentiam duobus codd. suppeditatam, a Ci-
cerone, quod mireris, omissam Inv. I, 22 Quint. non neglexit IV, 1, 11:
'etiam partis adversae patronus dabit exordio materiam: interim cum ho-
nore, si eloquentiam eius ac gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta
sint iudici, fecerimus'. itaque qui se defendit, iubetur ab Anaximene 55.
25 *τὰς ἐλαττώσεις φέρειν λέγων· ὡς οὐ δεινότητι πιστεύων ἀνέστην.*
cf. etiam Apsin. IX, 473. tale est prooemium Quintianae.

9, 2. his adiumentis. cf. Aristot. Rh. I, 12, 2. Lys. XXIX, 12:
μᾶλλον δὲ προσεποιοῦντο πιστεύειν τοῖς χρήμασιν ἢ δεδιέναι τὰ αὑτῶν
ἁμαρτήματα. 5. cf. Anaxim. 73, 18. Apsin. IX, 468 ac praecipue

Cic. Verr. I, 29, ubi singulos iudices cum laude nominat (inque his Q. Cornificium, fortasse ipsum huius libelli scriptorem); set ibi extra prooemium hac benivolentiae captatione utitur, ut Hyperides pro Euxenippo col. 43, 44. — 7. Quint. IV, 1, 30 talia ex iis esse existumat, 'quae non sunt personarum nec causarum, verum adiuncta personis et causis — fama iudiciorum, expectatio volgi'. exempla sunt Cic. p. S. Rosc. 11, Verr. I, 49, p. Coel. 2. contra declamator ille p. dom. (2) metu dedecoris iniecto pontifices sibi conciliare conatur. 9. tollemus Klotz recte
9 tuetur, altera lectio extollemus petita est ex Inv. I, 22. — 10. eadem videtur insinuatio, quam Apsin. IX, 489 προκατάστασιν appellat, definitque ἔφοδον πρὸς τὰς ἀποδείξεις ἢ κατασκευὴν τῶν ἀποδείξεων. aput eundem 491 legendum videtur ἐξ ἀντιπίπτοντος δὲ ἀναιρέσεως προκαθιστάμεθα, ὅταν ἢ πλείονα τὰ ἀντιπίπτοντα ἐκ τῆς διανοίας τῶν ἀκουόντων. — 11. haec tria insinuationis tempora significantur iam ab Anax. 73, 2. ubi est aliquis διαβεβλημένος τῷ πρὸς αὐτὸν ἢ πρὸς τὸ πρᾶγμα ἢ πρὸς τὸν λόγον τοὺς ἀκούοντας δυσχεραίνειν. 15. his rationibus. item tres sunt: aut dissimilitudinem rei a nobis gestae cum crimine adversariorum demonstramus, aut similitudinem rei iam iudicatae cum nostra ostendimus aut negamus dicturos esse nos de adversariis, et tamen maledicemus occulte. easdem, set alio ordine positas refert Cic. Inv. I, 24, inde a verbis 'et dissimulare id te defensurum' etc. 17. rem non hominem. quod in multis codd. additur 'hominem non rem' ex Inv. I, 24 illatum est, quamvis ibi Cicero plane diversa praecipiat. ceterum cf. Cic. p. Mil. 31. 'senatus rem non hominem notavit, et Pompeius de iure non de facto quaestionem tulit.' adde Lycurg. adv. Leocr. 67. — 18. non placere — nefaria. cf. Quint. IV, 1, 16: 'advocatus aliquando utiliter etiam reprehendere potest, nam se quoque moveri interim finget, ut pro Rabirio Postumo Cicero, dum aditum sibi ad aures faciat et auctoritatem induat vera sentientis', etc. locus est aput Cic. p. Rab. I, 2. — 21. de simili causa aut de eadem. cf. Cic. p. Caec. 38, 'non — vereor, ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Caecinam non oportere.' p. Tull. 35 'apsolvantur omnes de simili causa necesse est' (lo: 'reae necesse est' scil. familiae.) adde Quint. V, 2, 1. otiosa sunt ista aut de minore aut de maiore, nescio an ex Inv. I, 41 extr. huc translata.

10. 3. interiectione verborum. sic II, 3. 'in causa coniecturali narratio accusatoris suspitiones interiectas et dispersas habere debet'. cf. Hyperides pro Euxenippo, col. 41. τὸ πάντων δεινότατον τῶν ἐν τῷ λόγῳ λεγομένων ὑπὸ σοῦ, ὃ σὺ ᾤου λανθάνειν ὧν ἕνεκα λέγεις οὐ λανθάνων, ὁπότε παραφθέγγοιο ἐν τῷ λόγῳ. ὡς πλούσιός ἐστιν Ἐ. καὶ πάλιν
10 διαλιπών, ὡς οὐκ ἐκ δικαίου πολλὴν οὐσίαν συνείλεκται. si persuasus auditor fuerit. eadem constructione Cic. p. Tull. 39 'ut si posses, reciperatores persuaderes'. ubi vide notam Kelleri Semestr. I, p. 681. 4. si oratio adv. f. f. auditoribus. hoc praeceptum iisdem fere verbis repetitur Inv. I, 25. — 8. sic Apsin. IX, 494: ἀπ᾽ ἐπαγγελίας δὲ καθιστάμεθα — ὁπόταν τοῦ ἐναντίου δοκοῦντος ἰσχυρίζεσθαί τινι κε-

φαλαίῳ λέγῃς ἐπαγγελλόμενος οὐ πρὸς ἐκείνου μᾶλλον ἢ πρὸς ἡμῶν εἶναι. Hermog. autem dicit *π. εὑρ.* 104 *ἰσχυρότατον γένος λύσεως — ὃ καὶ βίαιον κέκληται — ὅταν εἰς τὸ ἐναντίον περιιστάναι δυνώμεθα τὸν λόγον ἐξ αὐτῶν αἱροῦντες τὸν ἀντίδικον οἷς θαρρῶν εἰσέρχεται,* affertque exempla Demosth. XIX, 78, 131. tale prooemium magnam vim habet 'nam auditor' ait Cic. l. c. 'quom eum, quem advorsarii perturbatum putant oratione, videt animo firmissumo contra dicere paratum, plerumque se potius temere adsensisse quam illum sine causa confidere arbitratur.' lectionem 'putat' minume necessariam intelleges, praesertim si nostrum locum compares, ubi item adversarii plurali numero inducuntur, etsi statim infra unus adversarius commemoratur. 10. quod ille nuperrime dixerit. h. e. in extrema sua oratione, cf. III, 18. — 11. dubitatione utemur. cf. Quint. IX, 2, 19, qui laudat Cic. p. Cluent. 4: 'equidem quod ad me attinet, quo me vortam, nescio. negem fuisse illam infamiam iudici corrupti'? etc. 12. quoi loco primum resp. simile illud Demosth. XVIII, 129. *οὐκ ἀπορῶν, ὅτι χρὴ περὶ σοῦ — εἰπεῖν, ἀπορῶ τοῦ πρώτου μνησθῶ.* cum adfirmatione tenebimus, quamvis Cic. l. c. deteriorum codd. lectionem 'cum admiratione' solam habeat; dubitatio utrumque admittit. 13. de forma erint servata in cod. *h* vid. Lachm. ad Gai. I, 146. — 14. possit incipiemus pauci et recentes libri, possit exordiemur solae *E*. recte igitur Klotz omisit verbum, quod facile aliquid verbi a communi intellegi possit; at aegre mente suppletur 'exordiemur' interposito altero verbo 'utemur', quo malim referre ablativos, omissa nimirum praepositione, quam irrepsisse suspicor ex loco Cic. Inv. I, 25 'sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere'. apologo. Aesopicam fabulam dicit, cf. Gell. II, 29, fin. Cic. de or. II, 264. Quint. VI, 3. 44. aput Aristoph. Vesp. 583 reus *Αἰσώπου τε γέλοιον* profert. fabula veri simili ut comoediae, tragoediarum enim fabulae nec verae nec veri similes, cf. I, 13. de usu fabulae cf. Cic. Part. 40: fabula etiam non numquam, etsi sit incredibilis, tamen homines conmovet'. itaque p. Mil. 8. attulit 'non sine causa etiam fictis fabulis doctissumi homines memoriae prodiderunt eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, — sapientissumae deae sententia liberatum'. depravatione explicet Quint. VI, 3. 6 'ridiculum dictum — saepe est industria depravatum'. differt scilicet depr. ab imitatione, nec erat, cur ob locum Cic. de or. II, 242 'in re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet' inferioris familiae lectio 'imitatione depravata' reciperetur. 15. inversione. eius exemplum dat Cic. de or. II, 261, unde videas idem esse quod infra IV, 46 permutationem. de abiectione vide Cic. or. 127. de suspitione de or. II, 268. de inrisione ib. 277. de stultitia ib. 274. qui correxerunt 'stultitiae irrisione' non videbant esse brevius appellatam pro simulata stultitia. cf. Quint. VI, 3, 23: 'eadem quae si inprudentibus excidant, stulta sunt, si simulamus, venusta creduntur.' 16. de superlatione cf. infra IV, 44. conlectione significatur frequentatio, hic, ni fallor, referenda est ad argumenta ab adversario prolata, cf. Cic. Brut. 303. liquet, cur

deteriorum librorum lectiones exsuperationem et collationem sprevimus. de literarum mutatione agit Cic. de or. II, 249. praeterea expectatione recte habet, nec opus erat Schützii emendatione 'dicto praeter expectationem'. exp. enim potest per se ita intellegi, ut h. l. cf. Cic. Part. 73 'omnis enim exp. eius, qui audit, et admiratio et inprovisi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem'. 17. de similitudine cf. IV, 59. novitas opinor historiae opponitur, de qua vide I, 13. alterius interpellatione. Cic. Part. 30. 'sit autem hoc etiam in praeceptis, ut si quando — interventus alienius aut interpellatio — dederit occasionem nobis, ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus.' exemplum, set non in prooemio positum praebet Cic. de prov. cons. 18 'dicam, P. C. quod sentio, atque illam interpellationem mei familiarissumi, qua paulo ante interrupta est oratio mea, non pertimescam'. Seneca narrat de Cassio Severo Contr. III prooem. (396 ed. Bip.) 'iratus commodius dicebat; ideo diligentissume cavebant homines, ne dicentem interpellarent'. in universum agit de extemporali exordio Quint. IV, 1, 54.

II, 1. adrisione h. e. adsensionis cum plausu significatione, cf. Cic. de or. II, 262. 'multo etiam adrisum est vehementius'. posteriora duo insinuationis genera coniunguntur a Quint. IV, 1, 48. — 2. dicturos. facile adicitur cogitatione verbum, unde haec pendeant; adiectum citra
11 necessitatem in multis codd. non primariis 'si promiserimus'. 9. in dicendo h. e. in reliquis orationis partibus, vide III, 8 ibique notata. ignorantia huius rei Schützio in causa fuit, ut verba 'ut — possimus' eiiceret. 10. hae res. usurpatur vocabulum ut I, 2. 14. II, 46. III, 19, IV, 1, 66. 67. 68 al. de parte aliqua artis rhetoricae, quod qui non attenderant, interpretamentum 'utilitates' adscripsere. tametsi — comparandum est. Quint. IV, 1, 5 idem profert, respondetque sic ad Ciceronis reprehensionem, qua nescio an Cornif. quoque petatur, de or. II, 323. 'attentum monent Graeci ut principio faciamus iudicem et docilem, quae sunt utilia, set non principi magis propria quam reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxume sunt, quom omnia expectant et dociles magis initiis esse possunt' adde 81 'quae praecepta principiorum — esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda'. 14. exordii vitia tractantur a Cic. Inv. I, 26. de or. II, 315. Quint. IV, 1, 71. — 15. ut lenis sit sermo. vid. Quint. IV, 1, 58. An. Seg. 430, 7. hac moderatione cavetur, ne statim auditori artificii suspitio afferatur, cf. infra I, 17 et Cic. Inv. I, 25 extr. qui locus Schützium permovit, ut verba 'nunc — docebo' post 'videatur esse' collocaret. illud tamen praeceptum si neglegetur, item nascetur vitium. 17. quod in pluris causas p. adc. cf. Cic. Br. 209. 'omnium — causarum unum est naturale principium, una peroratio'. itaque ὃ μηδαμοῦ μᾶλλον ὠφελήσει (Dionys. de Lys. 16) summa laus prooemii, summum contra vitium, quod hic describitur: eius modi exordium εὐτελὲς appellatur a Philostr. V. S. 253, 23. — 20. commune. cf. Cic. Inv. 1, 26, unde interpolationes in aliquot codd. deteriores fluxerunt vs. 21. et 12, 2 —

21. verba quod nimium app. v. conpositum est aut effugerunt immerito notam alienae originis, non enim poterant haec repeti post superiora: ut non adparata or. vid. esse, licebitque h. l. Ciceronis comparatione uti, qui eundem praeceptorum ordinem secutus conmutabili 'quod ab advorsario potest leviter mutatum ex contraria parte dici' continuo subiungit 'longum quod pluribus verbis aut sententiis ultra quam satis est producitur'.

12, 2. ut proprie cohaereat cum narratione. Senec. Contr. I,
1, extr. (80 ed. Bip.) 'Hermagoras in hac controversia transiit a prooemio in narrationem eleganter, rarissumo quidem genere, ut in eadem re
transitus esset sententia esset schema esset — ex altera parte transiit a
prooemio in narrationem Gallio et ipse per sententiam' etc. adde Cic. de
or. II, 325. Quint. IV, 1, 76. exemplum praebeat Demosth. LVI, 2—4
— 10. quod intercurrit — adparationis causa. An. Seg. 435, 12
6 sqq. hoc intercurrens genus narrationis fidei aut criminationis causa *παραδιήγησιν* appellat. quia *ἐφάπτεταί τινων περὶ τὸ πρᾶγμα*, distinguit
ab ea *παρέκβασιν*, quae *ἐκδρομή ἐστι λόγων καθ' ὁμοίωσιν ἢ μίμησιν
τῶν γεγονότων*. digressio ea est secundum Ciceronem de or. III, 203,
Quint. IV, 2, 17. Cornificio est transitio. 11. alicuius adparationis causa. pronomen iam per se indicat ultumum et generalius nomen
poni, cf. Madvig ad Cic. de Fin. III, 63; quae in libris non bonis adscripta sunt, 'vel laudationis' aut 'vel delectationis aut amplificationis'.
inde patet glossemata esse: eaque iterum ex Inv. (I, 27) inlata sunt.
12. exerceri convenit. sunt enim progymnasmata. 17. fabula et 13
argumentum referre videntur Aristotelis *μῦθον* et *λόγον* cf. de poet. c. 5.

13, 7. haec — transigentur. h. e. negotiorum et personarum descriptiones; supplendum 'genera' quapropter singularis 'transigetur' ex optumis libris recipi non poterat; etiam 'illud' ei mutationi refragabatur. 8.
ad veritatem = ad veras causas, cf. II, 12, IV, 32. — 9. de tribus 14
narrationis virtutibus cf. Anaxim. 60, 7, sqq. Aristot. Rhet. III, 16. Theo. Progymn. 183. Cic. Inv. I, 28. Or. 122. Quint. IV, 2, 31, unde haec excerpam: 'eam plerique scriptores, maxume qui sunt ab Isocrate, volunt esse lucidam brevem veri similem — eadem nobis placet divisio, quamquam et Aristoteles (l. c.) ab Isocrate parte in una dissenserit, praeceptum brevitatis irridens, tamquam necesse sit longam aut brevem esse expositionem nec liceat ire per medium'. Cic. Top. 97 non differt, set Part. 31, ubi Theodectis exemplo etiam suavitatem adsumit. 11. de brevitate narrationis cf. Cic. Inv. I, 28; Quint. IV, 2, 40. — 13. si non ab ultumo. vide An. Seg. 436, 18: *σύντομον ποιήσεις τὴν διήγησιν, ἐὰν μήτε πόρρωθεν ἄρχῃ, καθάπερ ἐν τοῖς πολλοῖς* (scr. *προλόγοις*) *πεποίηκεν Εὐριπίδης, μήτε μακρὰ λέγῃς, ὡς οἱ μετὰ τὸ πρᾶγμα καὶ ἄλλα διηγούμενοι.* 16. et si non deerrabimus. Anaxim. 60, 19 hanc praeceptionem, quod aptius est, ad perspicuitatem refert; Cornific. infra (14, 3) eam repetere cogitur. adde Theonem 185. — 17. et si exitus — intellegatur. Theo 190: *ἔτι δὲ καὶ τὰ συνυπακουόμενα πάντως συμπεριαιρετέον* (sc. *περιαιρ.*) *τῷ συντόμως ἀπαγγέλλειν βουλομέ-*

νῳ. An. Seg. 137, 18: *ποιήσεις δὲ συντομίαν καὶ ὅτε κατ' ἔμφασιν παραλείψεως λέγεις* (sc. *λέξεις*). 20. et omnino — dicamus. cf. Anaxim. 61, 1. Theonem 188.

15 14. 1. sumpti hi vss. ex incerto poeta. 5. rem dilucide narrabimus, si — exponemus. cf. Anaxim. 60, 14. Theo 184 sqq. An. Seg. 138, 2. Hermog. π. ἰδ. 214, 1. aput quos divisio obtinet perspicuitatis *ἀπὸ τῶν πραγμάτων* et *ἀπὸ τῶν ὀνομάτων*. sic etiam Cic. de or. II, 329: 'erit perspicua oratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur'. Quint. contra IV, 2, 83 huic legi opponit: 'ne iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum, set eo malo narrare, quo expedit' etsi idem IV, 2, 36 consentiens ait: 'erit narratio aperta atque dilucida, si fuerit primum exposita verbis propriis — tum distincta rebus personis temporibus locis causis'. ad verbum cum Cornif. congruit Inv. I, 29. — 7. ne quid perturbate ne quid nove. sic scripsi optimorum codd. fide mutans tantum novi, quod in illis est. Cic. Inv. l. c. 'ne quid perturbate ne quid contorte' unde interpolatores alterum membrum in nostrum locum transtulerunt; illud autem, 'ne quid nove' explicatione indigere videbatur; 'ne quid ambigue' quod ϱ^1 monstrat, ubi prior habet manus 'vel ambigue'. in *2l* antiqua lectio plane cessit interpretationi; in *rb* locum ante eam, in *E* post eam invenit. 9. ne quid — praetereamus. cf. Quint. IV, 2, 44 sqq. 10. Concedendum est, scriptorem dilucidius locuturum fuisse, si hoc ordine usus esset: 'ne quid nove dicamus, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus, et si sequemur ea, quae de brevitate praecepta sunt, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, nam quo brevior' etc. ne tamen quid mutemus, prohibet Cic. Inv. I, 29, ubi item post verba 'hic erit considerandum, ne — quid quod ad rem pertineat, praetereatur' pergit 'et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt con-

16 servanda'. 12. veri similis narratio tractatur a Cic. Inv. I, 29. Part. 32. Quint. IV, 2, 52. Theo 190 sq. An. Seg. 138, 25. — 14. personarum dignitates explicamus adhib. IV, 65. extr. 'puto in hoc exemplo datum esse uni cuique sermonem ad dignitatem adcommodatum'. adde Top. 97. 'ut moratae (sint), ut cum dignitate'. 17. homines ipsos facere — non potuisse. eius modi est, quod p. Q. Roscio 17 sqq. adversario opponitur. si vera res erit — conservanda sunt. Qu. IV, 2, 33. 'sunt enim plurima vera quidem, set parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter verisimilia; qua re non minus laborandum est, ut iudex, quae vere dicimus, quam quae fingimus credat'. idem monet Antipho V, 3: *πολλοὶ γὰρ ἤδη τῶν οὐ δυναμένων λέγειν ἄπιστοι γενόμενοι τοῖς ἀληθέσιν αὐτοῖς τούτοις ἀπώλοντο, [οὐ δυνάμενοι δηλῶσαι αὐτά] πολλοὶ δὲ τῶν λέγειν δυναμένων πιστοὶ γενόμενοι τῷ ψεύδεσθαι αὐτῷ τούτῳ ἐσώθησαν, [διότι ἐψεύσαντο].* ibi inclusa ab interprete adposita esse. praeterea *τοῖς ψευδέσιν αὐτοῖς τούτοις* legendum existimo. 19. saepe veritas — fidem non potest facere. cf. Anaxim. 61, 5. Theo 191.

15, 1. confligendum cum adversario. cuius narratio aut aperte aut tecte impugnanda est. sic loquitur Cic. p. Caec. 17: 'quom omnia ita facta essent, quem ad modum nos (in narratione) defendimus'. aput Senec. Contr. IV, 25 (281 ed. Bip.) 'negabat se pro Flaminino narraturum Montanus, set quae obiciuntur, responsurum'. Aps. IX, 494, 17 propterea διηγήσεις dividuntur in ἱστορικὰς et ἀγωνιστικάς. adde Quint. IV, 2, 80. — 4. quae de insinuatione nova exc. iis Cic. Inv. I, 23 sq. pro suis utitur, non laudato auctore. — 9. oratoris officium. ut h. l. optumi codd. 'artificium' sic III, 17 'ordine officioso' pro 'ord. artificioso' habent. Cornif. autem, ut supra I, 3 constituit docere, quem ad modum possint ad orationem officia (non 'artificia') oratoris accommodari, ita hic convenienter inventionem praecipuom oratoris officium esse dicit. adde, quod illic et I, 4. II, 1 'oratoris' nomen officiis apponit. quin etiam Cic. de or. I, 137 tueri potest lectionem 'non negabo me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse: primum oratoris officium esse dicere ad persuadendum adcommodate' etc. nihilo minus industrie est: eadem, qua superiora, industria. 10. a quaesisse sane pendet quod relicuom est, set scriptor, quasi illius membri oblitus sit, quae rei utilitas postulabat intulit. postulabat verum tempus esse, non 'postulabit', totius rei natura docet. quod autem quae pro 'quam' ex uno Augustano dedimus, defendat alter locus IV, 1: 'nunc si pauca, quae res postulat, dixerimus, tibi id, quod relicuom est artis — persolvemus'. 12. causarum divisio est quam An. Seg. 447, 29 πρόθεσιν appellat, 17 Hermog. π. εὑρ. 99 sq. προκατασκευήν, pro exemplo utens Demosth. XXIII, 18 sqq. XIX, 4 ad εὐκρίνειαν pertinere eam dicit π. ἰδ. 212, 17. — 13. re narrata requiri vidimus (collato loco III, 18) antequam codicis *n* lectio 'per narrata' nobis innotuit. 'perorata narratione' deteriorum codd. inde ab a^2 l^2 mendum excluditur usu verbi non nisi in epilogum cadentis. solus ille, qui Ciceronis nomine oratiunculam suam ad Quirites post redit. venditavit, perorationem in media Pompei contione ponit § 16. — 13. quid nobis conveniat cum advorsariis. adhibe Cic. Inv. I, 31, Victoriu 64, ed. Or. adversarii hic Orestes eiusque defensores sunt: qui eum accusant, iis utile est confiteri ipsum matrem a se esse interfectam. iis, qui defendunt, utile est adversarios confiteri a Clytaemnestra necem illatam Agamemnoni. 14. quid in controversia sit. Quint. VII, 1, 8: 'explorandum est, ubi controversia incipiat, et considerari debet, quae (quid?) primam quaestionem facit' (faciat?). 17. item e contrario. h. e. si quae adversariis utilia erunt, convenient. convertuntur autem personae et qui ante fuit adversarius, i. e. Orestes, nunc loquens inducitur. hunc locum etiam Halm Anal. Tull. p. 4. recte emendavit.

16, 1. confitentur de adversariorum concessione intellegendum, quae est utilis nostrae parti. confessiones partis contrariae a Cicerone saepe ultra confitentis voluntatem augentur, ut p. Caec. 34. 'feci equidem, quae dicis, omnia et ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. quid ergo est? impune feci, nam quid agas mecum ex iure civili ac prae-

torio, non habes'. ceterum quid confiteri sit, ignorat declamator p. domo 93, ubi ait 'non tam sum existumandus de gestis rebus gloriari, quam de obiectis non confiteri' (sc. de furtis largitionibus lubidinibus). non confiteri enim is tantum potest, qui talia commisit. 2. negant. sententia est Tyndarei aput Eur. Or. 538: *θυγατὴρ δ' ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα, ἀλλ' οὐχὶ πρὸς τοῦδ' εἰκὸς ἦν αὐτὴν θανεῖν.* 3. distributione. definitionem et divisionem, quae partes eaedem fere sunt atque expositio et enumeratio, Cic. Part. 29 in prooemium reicit, ut intellegentia auditoris efficiatur. 6. eam plus quam trium partium numero non oportet esse. Cic. Inv. I, 32 certum numerum non postulat, set brevitatem absolutionem paucitatem generum; paucitas eo spectat, ut genera ipsa rerum ponantur neque permixte cum partibus implicentur; 'absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam genera — amplectimur, in qua [partitione] videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur aut sero extra partitionem — inferatur'. hic inclusum vocabulum esse alienum non fugiet attentos lectores. Quint. IV, 5, 3 ipsum Cornif. petere videtur dicens: 'ne illos quidem probaverim, qui vetant ultra tres propositiones extendere, quae sine dubio si nimium sit multiplex, fugiet memoriam iudicis et turbabit intentionem, hoc tamen numero velut lege non est adliganda, quom possit causa plures desiderare' ac sane iam Demosth. XIX, 5—8 numerum ternarium quadruplici divisione egressus est, triplicem habet in XXI, 21, XXIII, 18—21, ut Cic. pro Murena 11, pro Cluentio 9 etc. 8. suspitionem adfert auditori meditationis id quod artifici valde nocere multi docent, e. g. Cic. Brut. 139. Senec. Contr. III, prooem. (198 Bip.) An. Seg. 139, 11. ac poeta ex rhe-
18 torum scholis profectus Ovid. A. A. II, 313. — 12. sententia redit aput Cic. or. 122. de or. II, 331. Quint. V, prooem. 2. Aphthonius igitur, ubi *ἀνασκευὴν* et *κατασκευὴν* exposuit, utrobique addit: *τὸ δὲ προγύμνασμα τοῦτο πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τὴν τῆς τέχνης ἰσχύν* (I, 72, 77). 17. alii quattuor fecerunt. Hermagoram intellige, quem quodammodo secutus est Hermogenes *π. στασ.* 16, 5 *ἐν τῇ μεταλήψει* (translatione) *οὔτε εἰ ἔσται τι προηγουμένως ζητήσεις, καθάπερ ἐν στοχασμῷ, οὔτε τί ἐστι, καθάπερ ἐν ὅρῳ, οὔτε ὁποῖόν τί ἐστιν, ὡς ἐν ταῖς λοιπαῖς* (quas tamen una *ποιότης* complectitur), *ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο, εἰ δεῖ ζητῆσαί τι τούτων, παραγραφὴ γάρ ἐστιν.* secutus est etiam Cic. in Inv. (I, 10, 16) quidem, postea deseruit. Cornificii rectum iudicium atque adeo doctoris, cui obtemperavit, a Quint. confirmatur III, 6, 70: 'personae tempora actiones ceteraque propter aliquam causam transferuntur: ita non est in translatione quaestio, set in eo ipso, propter quod transferuntur.' eiusdem Hermagorae auctoritate factum esse videtur, quod Cicero (Inv. I, 11.) et Hermogenes (*π. στασ.* 12, 3; 48, 5) constitutiones etiam in genere deliberativo et demonstrativo inesse statuerunt; Cornificius ab eo quoque errore liber est; is inde ab hoc loco, oblitus admonitionem de illa opinione addere, agit de solo iudiciali genere usque ad finem alterius libri.

noster doctor. quis fuerit, incertum est; nomen Hermae, quom in deterioribus tantum libris extet, coniecturae deberi suspicor. Quint. III,

6. 44 ubi ait: 'a plurimus tres sunt facti generales status, quibus et Cicero in oratore utitur — idem Patrocles sentit — tres fecit et M. Antonius — qui et Virginio placent' consulto videtur omittere Cornificium. cf. Praefat. — 20. constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta. haec respiciuntur a Cic. Inv. I, 13 extr. ubi errore quodam Hermagorae refutato 'hoc eodem urgebitur' ait 'sive constitutionem primam causae accusatoris confirmationem dixerit sive defensoris primam deprecationem' et a Quint. III. 6, 13 'alii crediderunt primam eius, cum quo ageretur, deprecationem.' cum definitione a Cornificio usurpata maxume congruit Cic. Top. 93 'refutatio accusationis, in qua depulsio criminis quae Graece *στάσις* dicitur, Latine appellatur status: in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio.' Quint. contra III. 6, 13 sqq. etiam accusatoris statum esse decrevit, postquam Cornelius Celsus sententiam protulit, omnino non a depulsione sumi statum, set ab eo, qui propositionem suam confirmet. at ex firmamento accusatoris indicatio (de qua vide infra I, 26) proxume consequitur, non status, qui antecedit rationem in genere legitumo et iuridiciali. appellatio ex certaminibus gymnicis petita esse videtur. cf. Aesch. III, 206 *ὥσπερ — ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως πρὸς ἀλλήλους διαγωνιζομένους. οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ τῆς τάξεως αὐτῷ τοῦ λόγου μάχεσθε.* tale quid spectare videtur Hermog. *π. στασ.* 10, 2. *ὅθεν — εἴρηται στάσις, εἴτε ἀπὸ τοῦ στασιάζειν τοὺς ἀγωνιζομένους, εἴτε ὁθενοῦν, ἑτέροις παρίημι.*

17, 2. coniecturalis legituma iuridicialis. Anaximenes duas harum constitutionum, coniecturalem et iuridicialem exprimit, iuridicialisque utramque formam, ratione habita *ἀγώνων τιμητῶν* et *ἀτιμήτων*, 24, 18—23: *ὅταν ὁ νόμος ὁρίζῃ τὰς τιμωρίας, δεικτέον ὡς οὐκ ἐποίησε τὸ παράπαν ἢ ὡς ἔννομα καὶ δίκαια ἐποίησεν· ὅτε δὲ οἱ δικασταὶ καθεστήκασι τιμηταὶ τῆς ζημίας, ὁμοίως πάλιν οὐ φατέον, ὅτι ταῦτα οὐκ ἐποίησεν, ἀλλὰ μικρὰ βεβλαμμένον τὸν ἐναντίον καὶ ἀκούσια ἀποφαίνειν πειρατέον.* eandem fere Lysias XIII. 49—52 divisionem profert. Aristoteles Rhet. III, 17, 1 genera constitutionum universali nomine *πίστεων*, propria appellatione nondum usus complectitur. Cicero pro legituma Cornificii constitutione definitivam Hermagorae exemplo ponit (cf. infra ad 17. 9 adnotata) his locis: Inv. I, 10, Part. 33, Top. 92. or. 45, de or. I, 139, II, 104, III, 70, quorum unum Top. 92 huc transferam: 'defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum aut, si sit factum aliud eius facti nomen esse aut iure esse factum: itaque aut infitialis aut coniecturalis prima appelletur, definitiva altera, tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, iuridicialis vocetur.' coniecturalis constitutionis descriptionem praebent verba Antiphontis VI, 18 *ὁπόσα λάθρᾳ πράττεται καὶ ἐπὶ θανάτῳ βουλευθέντα, ὧν μή εἰσι μάρτυρες, ἀνάγκη περὶ τῶν τοιούτων ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων τῶν τε τοῦ κατηγόρου καὶ τοῦ ἀποκρινομένου (κρινομένου?) τὴν διάγνωσιν ποιεῖσθαι καὶ θηρεύειν καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα καὶ εἰκάζοντας μᾶλλον ἢ σάφα εἰδότας*

ψηφίζεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων. cur adhibenda sit, pluribus Aeschines exponit I, 73 sqq. maxime 90 sq. adscribens in fine: εὑρίσκεται ἡ ἀλήθεια ἐκ τῶν εἰκότων. — 3. Aiax in silva — incubuit. Quint. IV, 2, 13 hanc fabulam pluribus enarrat: 'ut in tragoediis, quom Teucer Ulixem reum facit Aiacis occisi dicens inventum eum in solitudine iuxta exanime corpus inimici cum gladio cruento, non id modo Ulixes respondet, non esse a se id facinus admissum, set sibi nullas cum Aiace inimicitias fuisse, de laude inter ipsos certatum: deinde subiungit, quo modo in eam solitudinem venerit, iacentem exanimem sit conspicatus, gladium e volnere extraxerit. his subtexitur argumentatio'. cf. Ladewig Anal. scen. p. 23. Ribbeck trag. lat. reliq. 292. uterque dissentit a Welckero, qui Trag. 953 Quintiliano fidem non habet ex tragoediis haec petita dicenti. 5. e corpore solus cod. π fide recepi ut consuetudini Cornificii magis conveniens. 7. videat optimorum librorum lectio non magis servanda erat quam Cic. Inv. I, 16 extr. 'expositum videamur' quod lapsu calami praestantissumos codices occupavit. — 9. de facto c. c. haec verba incommode interpellant enuntiationes conexas, 'hic coniectura verum quaeritur: ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur' iamque leguntur supra 3. — 10. ex scripto veram esse lectionem docent loci 18, 10; 19, 13; 25, 3. Cic. Inv. II, 116 has partes legitumae constitutionis separat a statibus, atque appellat controvorsias, quae in scripto versantur; sunt quinque: 'ex ambiguo ex scripto et sententia ex contrariis legibus ex ratiocinatione ex definitione.' duas postremas omittit de or. I, 140. II, 110, Partit. 107 et Top. 95, ubi quodam modo transit ad veriorem Cornificii rationem, quom ait: 'quoniam lege firmius in controvorsiis disceptandis esse nil debet, danda est opera, ut legem adiutricem et testem adhibeamus, in qua re alii quasi status existunt novi, qui appellantur legitumae disceptationes.' eodem numero et ordine An. Seg. 151, 15 sqq. has partitiones leg. const. tractat; Quint. autem quattuor ex scripto controversias novit (VIII, prooem. 10) 'quae aut scripti et voluntatis aut ratiocinativae (ratiocinationis?) aut am-
19 biguitatis aut legum contrariarum specie continentur.' 14. si lex sit — in nave. haec quasi per parenthesin illata sunt, hoc modo ad ipsum factum natamque ex eo controversiam spectat; qua re lectione 'sit lex' haut opus erat, nec ex Augustano reponendum 'quidam perterriti'; utrumque placuit Schützio. ceterum aput Hermog. π. στασ. 15, 6 res eadem alteri iuncta invenitur: ὁ ἀποκήρυκτος μὴ μετεχέτω τῶν πατρῴων καὶ ὁ ἐπιμείνας χειμαζομένῃ νηΐ δεσπότης ἔστω τῆς νεώς· ἀποκήρυκτος ἐπέμεινε χειμαζομένῃ νηΐ καὶ εἴργεται αὐτῆς οὔσης πατρῴας, ut constitutio fiat legituma ex contrariis legibus. pluribus ea illustratur ἀντινομία l. c. 57, 6.

18, 2. haec const. — sententia inepta repetitio est, nata, ut videtur, ex indice marginali, nec aliter statuimus de 18, 9, 17; 19, 11; 21, 9. tales indices desunt in §§ 24, 25, ubi, si antea ipsius scriptoris consi-
20 lio additae essent, non desiderarentur. 3. haec pars de contrariis legibus tractatur a Cic. Inv. II, 144 sq. Quint. VII, 7, 1 et Hermog. π. στασ. 15, 4, qui docet leges inter se non nisi κατὰ περίστασιν pugnare posse;

adscribit Syrianus IV, 264, 10 *ὡμολόγηται — ὡς οὐκ ἂν συσταίη πολιτεία, ἐν ᾗ φύσει ἐναντίοι ἀλλήλοις εἰσὶν οἱ νόμοι· πῶς γὰρ κατὰ τὸν Δημοσθένη τὰ αὐτὰ κύρια καὶ μὴ κύριά ἐστιν εὑρεῖν; εἰ γὰρ ἑκάτερος τῶν ἀγωνιζομένων τὸν ἐναντίον προΐσχηται* (sc. *προΐσχεται*) *νόμον, οὐχ οἷόν τε τοὺς δικαστὰς εὔορκον θέσθαι τὴν ψῆφον.* locum ex oratione deperdita respici suspicatur Walz. nobis Syrianus lapsu calami aut memoriae videtur *Δημοσθένη* pro *Αἰσχίνην* scripsisse. cf. III, 37 sq. etsi Demosth. quoque docet, cur contrariae leges ferri nequeant XXIV, 34, 62, 64. — 6. in contione oratorem habere cf. Rein Crim. d. R. p. 623; de augurum nominatione loquitur Cic. Phil. II, 4, leg. agr. II, 18, Brut. 1. — 11. res in unam sententiam scripta — significat aput Cic. Inv. II, 116 contractum sic: 'ex ambiguo — nascitur controvorsia, quom quid senserit scriptor, obscurum ex eo, quod scriptum duas plurisve res significat.' itaque 'scriptum' nostro loco illinc in optumis libris adhaesit: Schütz vero offendens in re, quae sententias significet, ulcus sanasse sibi videbatur corrigendo: 're in unam — — scriptum', non ille admiratus, Cornificium dicere IV, 67 'significatio est res, quae plus in suspitione relinquit quam positum est in oratione.' pariter 'res in unam sententiam scripta' est = scriptum in unam sententiam. 12. hoc modo. exemplum idem invenitur aput Cic. l. c. argutiora offert Hermog. *π. στασ.* 15, 63 et scholia IV, 274, 843. — 13. impudentissuma interpolatione factum est Tullius ex filius et uxori nomen Terentiae additum, eo opinor consilio, ut indocti esse Ciceronis librum ei tributum facilius crederent cupidiusque emerent. at hic scriptor in fictis causis nomina non adscribit. 15. quae volet Cic. Inv. II, 120 pro muliere pugnat: 'in hac causa, in qua de vasis argenteis quaeritur, possit mulier dicere nihil attinuisse adscribi 'quae volet' si heredis voluntati permitteret: eo enim non adscripto nihil inesse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret: amentiam igitur fuisse, quom heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto nihilo minus heredi caveretur.' 17. debere dicit omisso pronomine inde pendente, ut aput Cic. Inv. II, 116.

19, 1. De legibus Appuleiis non perlatis vid. Cic. de Leg. II, 6. 21
quod hanc legem frumentariam attinet, qua quinae partes sextae assis in modios singulos pretium constituebantur cf. Mommsen Trib. 180. Drum. Gesch. Rom. II, 238. — 2. Q. Caepio hic, qui 654 u. c. quaestor erat, bene distinguatur ab altero, cuius mentio infra fit, (22, 9) consule u. c. 648. cf. Orelli Onom. Tull. p. 540 sqq. — 5. ferat praesenti tempore indicatur, senatum non expectasse Saturninum eo temeritatis processurum. ea facere sc. ferenda, videri pro visum iri significat iam promulganda quidem lege laedi a Saturnino rem puplicam, senatum tamen expectare eum a ferenda destiturum. 6. intercedere supple 'coeperunt'. 7. sitellam detulit Liv. XXXV, 3 sitella adlata est, ut sortirentur. Cic. N. D. I, 106. ut — Ti. Gracchum cum videor — videre de M. Octavio deferentem sitellam. Plura dabit A. G. Becker (Marquard) Antiqu. Rom. II, 3, 131. Wunder in Praef. ad Var. lectt. ex

cod. Erf. p. CLVIII. 8. contra S. C. hoc totum emblema deest in solis *nt*. S. C. in omnibus libris si contra relinquitur, molestus existit pleonasmus, adverbium enim nil facit ad 'intercedentibus' illustrandum. advorsus rem p. recte habet. etsi eum ferre coniunctum editoribus iure displicuit 'nam hoc' ait Ernesti 'esse quid adversus remp. cerni non potest, actio modo cernitur.' igitur ex codd. $bl^{12}\varrho^2$ recepi 'facere', ex quo per compendium (fere) nasci potuit alterum verbum. 11. vocabulum enim definitur. refer haec ad superiora 'ea est huius modi'. miretur h. l. lector attentus, nemini olim displicuisse volgatam 'quom quaeritur quid sit inminuere maiestatem' in qua erat et inanis circuitio et deerat ad ipsam Saturnini ac Caepionis causam relatio. de definitione in universum cf. Aristot. I, 13, 9. Hermogenis descriptio ὅρου II, 6 refellitur
22 a Syriano 475 sq. aput Lysiam exemplum est XIV, 5. — 13. ex translatione. hic sufficiat praeter ea, quae infra ad II, 18 adferemus, laudare Cic. Inv. II, 57 sqq. cum expl. Victorini p. 45, 11 sqq. ed. Or. Quint. V, 13, 7 sq. Hermog. π. στασ. 16, 3. Apsin. IX, 485, 26. — 14. tempus differendum. de hac re agit Gaius IV, 123. — 15. reus dicit. aput Cic. Caec. 8 ipsi iudices translationem postulant. — Graeci in iudiciis. sic aput Demosthenem complures legimus orationes, in quibus rei exceptione utuntur, quamvis causa eorum plerumque talis esse videatur, ut Romano iudici nil probaturos fuisse existumem; e. g. vide or. XXXIV, XXXV, XXXVIII. Midiae translationem reicit Demosthenes XXI, 25 sqq. Androtionis idem XXII, 21—29; Agorati Lysias XIII, 88. — 16. nos in iure civili plerumque utimur. iudiciis opponitur ius, non ius civile, deleatur ergo adiectivum, iampridem a nobis reprehensum; set nescio qua nostra oscitantia nunc sine nota relictum, cf. Cic. Inv. II, 57: ita ius civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quem ad modum oportet, egerit: qua re in iure plerumque vorsantur (translationes). 17. in hac parte nos iuris civilis scientia iuvabit. his verbis et incommodissume divelluntur membra coniuncta: 'nos in iure plerumque utimur, in iudiciis tamen non nihil, ut hoc modo' et inepta continetur sententia, per se enim intellegitur in actione qualibet legituma iuris civilis scientia iuvari litigantes. fortasse haec fluxerunt ex Cic. de or. I, 201: 'in rerum privatarum causis — depromenda saepe oratio est ex iure civili et idcirco — oratori iuris civilis scientia necessaria est' qui illa verba in ordinem recepit, etiam alterum utimur adiecit, quo iam carere non posse videbatur oratio. 18. accusetur quod unus Ernesto usurpatus Lipsiensis praebet (alibi indicativus est) toto h. l. habitu defenditur, praeterea usu scriptoris, cf. §. 25.

20, 1. quod vasa — sustulisse. exemplum valde tritum ac iam ab Aristotele adhibitum, cf. Rhet. I, 13, 9. aput Hermog. π. στασ. II, 13. definitionis non translationis explicandae causa affertur. 5. praetoriae exceptiones sunt. cf. Gai. IV, 116. Cic. Inv. II, 57 'praetoriis exceptionibus multae excluduntur actiones — 58 exceptiones postulantur et quodam modo agendi' (h. e. certo modo agendi, quem qui non sequitur, causa cadit) 'potestas datur.' ibi libris qui habent 'prae-

toris’ et ‘quonam modo’ obtemperandum non fuit. ceterum exceptio praetoria non semper valuit ad omittendum iudicium. siquidem ait Cic. Part. 100 ‘ea fere generis eius sunt, ut quamquam in ipsum iudicium saepe delabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur.’ ergo § 99 legemus: ‘quae etiamsi, antequam res in iudicium venit, aut certata aut diiudicata aut confecta sunt, tamen in ipsis iudiciis permagnum saepe habent pondus’ volgo est ‘confecta non sunt.’ verba ‘qui non quem ad modum oportet egerit’ lectio codd. deteriorum et *E* ex Inv. I, 57 translata sunt, cod. *μ* et veram et insiticiam habet lectionem, quo interpolator apertius deprehenditur. 9. ex ratiocinatione — occupatur. paulo aliter Cic. 23
Inv. II, 148: ex ratioc. n. contr. quom ex eo, quod uspiam est, ad id quod nusquam scriptum est, venitur. Qu. VII, 8, 3 hic status ducit ex eo, quod scriptum est id, quod incertum est, quod quoniam ratione conligitur, ratiocinativus (status) dicitur. cf. Hermog. *π. στασ.* 14, 16, qui componit hoc genus cum eo, quod est *περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας*. 11. similitudine quadam occupatur. ut quasi propria fiat earum legum. iam apud Anaxim. 8, 9 invenitur *τὸ ὅμοιον τῷ γεγραμμένῳ νόμῳ* aliquot exemplis illustratum. vide praeterea Cic. de or. I, 240: ‘Galba — multas similitudines adferre multaque pro aequitate contra ius dicere.’ Brut. 143 in L. Crasso oratore laudatur ‘quom de iure civili, quom de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia’. in volgata lectione: ‘similitudinem quandam aucupatur’ et res inepte dicitur ipsa leges quaerere et verbum aucupandi prave adhibetur de legibus iam ad usum causae conversis, neque apte cohaeret cum ‘ab aliis legibus’. 12. lex est. retinui ‘est’, quo nequit oratio carere: facile elabebatur ante ‘si,’ praesertim si ‘st’ brevior scriptura nomini adhaeserat. si furiosus existet. inde a Schützio legitur ‘escit’, quamvis recte obloquente Ernesto ‘profecto non necessarium est, auctorem — leges afferre voluisse secundam Latinitatem priscam’. legem commemorat etiam Cic. Tusc. III, 11. in causa Malleoli (de qua vide Liv. ep. 68. Oros. V, 16) a fratre afferri poterat, ut ei tamquam furioso abiudicaretur testamenti factio. 13. et lex — profluentem. Schütz recte iudicare videtur, quom haec adnotat: ‘quid ista lex ad rem, de qua quaeritur, an paricida damnatus in carcere testamentum facere possit? manus interpolatorum hic grassatas esse magis etiam prodit cod. Aug. in quo legitur: ‘obvolutus corio lupino inposito gallo simia serpente devehatur’ etc. totam denique legem hic ab aliena manu adiectam esse confirmat Cic. de Inv. II, c. 50 (148), ubi tres tantum leges in eadem causa afferuntur’. addere poterat ex Inv. l. c. verba notata videre esse ducta, legitur enim illic: ‘ei statim — ligneae soleae in pedes indutae sunt, os autem obvolutum est folliculo et praeligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, conpararetur’; praeterea ipsam Inv. II, 149 interpolatione foedatam esse, includendaque ista: ‘et quae hunc ipsum supplicio eius modi afficiunt et’ ut relinquatur: ‘hic certa lex — nulla profertur, set ex ceteris legibus (sic cod. Erf.) quae — habueritne testamenti faciendi potestatem.’ 15. paterfamilias — esto.

Gai. II, 224: 'olim licebat totum patrimonium legatis atque libertatibus erogare neque quidquam heredi relinquere praeterquam inane nomen heredis, idque l. XII lex permittere videbatur, qua cavetur, ut quod quisque de re sua testatus esset, id ratum haberetur.' hanc legem proferebant defensores testamenti: 'contra frater contendisse videtur, Malleolum intestatum esse mortuum, quippe qui tanto scelere commisso testamenti faciendi potestatem amisisset, itaque adtulisse legem tertiam: 'si paterfamilias intestatus — esto'. qua suos non fuisse exceptos per se constat, agique de testatoribus, quibus non essent sui. 19. in pedibus constructione insolitum, ad sententiam supervacaneum notavimus; iam aput Cic. Inv. (I, 148) vide, num non grassata sit interpolatio et non nisi ea genuina haberi debeant, quae sine uncis appono: 'ei statim [quod ecfugiendi potestas non fuit] ligneae soleae [in pedes] inditae sunt.' nostro loco inductae tenendum optumorum codd. auctoritate, neque in verbi repetitione offendemus 'inductae sunt' — 'ductus est' qualia Cornif. non vitat, cf. I, 26 'ut docendi causa in hac potissumum causa consistamus.'

21 21, 12. iuridicialis constitutio. ea aput Cic. Inv. I, 14. II, 62 cum negotiali subiungitur generali constitutioni, non recte, si quid video; ait enim: 'iuridicialis est in qua aequi et recti natura, praemi aut poenae ratio quaeritur; negotialis est in qua quid iuris ex civili more et aequitate sit, quaeritur.' et altero loco: 'negotialis est, quae in ipso negotio iuris civilis habet inplicatam controversiam — iuridicialis est in qua aequi et iniqui natura et praemi aut poenae ratio quaeritur.' cur, quaero, in iuridiciali constitutione desunt inplicatae controvorsiae? qui autem hoc ex Hermagora derivare velit, dividente scilicet λογικὴν στάσιν in πραγματικὴν et δικαιολογίαν, ab Hermogene 12, 5 discat, quid sit πραγματική: ἀμφισβήτησις περὶ πράγματος μέλλοντος, εἰ δεῖ γενέσθαι τόδε τι ἢ μὴ γενέσθαι, congruit ergo cum deliberativa, quam constitutionem non esse ostendit Cicero Inv. I, 12 — 14; ut eum nomina Hermagorea retinuisse, set definitiones mutasse pateat; etsi Part. 106. tamen coniunctionem quandam negotialis constitutionis cum deliberativa causa monstrat: 'disceptationes eae, quae in his controvorsiis oriuntur, quae sunt certis personis et temporibus notatae, fiunt rursus infinitae detractisque temporibus et personis rursum ad consultationis formam rationemque revocantur.' 14. una apsoluta altera adsumptiva nominatur. differentiam similiter explicatam vide Cic. Inv. I, 15, etiam Quint. VII, 4, 3 'defensio longe potentissuma est, qua ipsum factum, quod obicitur, dicitur honestum esse — partem hanc vocant Hermagorei κατ' ἀντίληψιν' (cf. Hermog. π. στασ. 12, 15) 'ad intellectum id nomen referentes. Latine ad verbum translatam non invenio, absoluta appellatur — alterum est defensionis genus, in quo factum per se inprobabile adsumptis extrinsecus auxiliis tuemur, id vocant κατ' ἀντίθεσιν' (cf. Hermog. π. στασ. 12, 19) 'Latine hoc quoque non ad verbum transferunt, adsumptiva enim dicitur causa.' 17. mimus quidam — scena. infra II, 19 discimus, hunc mimum propterea damnatum esse; nimirum hic, ubi magis etiam, quam

in indicio homines notos sumere odiosum est (cf. Cic. p. S. Rosc. 47) non licebat homini vili et ignobili nobilissumum civem nominare.

22, 1. scripta. h. e. tragoediae. extraria re. de hac forma conf. Doederlein Synon. IV, 277. — 5. translatio criminis a Cic. Inv. I, 15 relatio criminis appellatur, ea causa, suspicor, ne translatio confunderetur cum constitutione translativa. 6. postulat ignosci omisso pronomine personali, ut IV, 20, qui postulant ignosci, et aput Cic. l. c. 'consulto peccasse reus se confitetur et tamen ut ignoscatur, postulat.' 8. dividitur in fortunam inprudentiam necessitatem. pro fortuna Cic. l. c. casum ponit. totam iuridicialem constitutionem idem his verbis complectitur de or. II, 106: 'iure omnia defenduntur, quae sunt eius generis, ut aut oportuerit aut licuerit aut necesse fuerit aut inprudentia aut casu facta esse videantur.' 9. de Caepionis calamitate cf. Liv. epit. 67. Cic. de or. II, 197 sqq. et ut hic, Brut. 135: 'Q. etiam Caepio — cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit.' inprudentiam. simile exemplum adfertur a Quint. (VII, 4, 14) 'ignorantiae, ut si quis fugitivo stigmata scripserit, eoque ingenuo iudicato neget se liberum esse eum scisse. 11. cui frater esset, pro quo malim 'cuius f. e.' fortasse ab interprete adiectum est. ne quis crederet alienum hominem aperuisse testamentum. 12. necessitudinem Quint. eodem exemplo illustrat l. c. 'ut quom miles ad commeatus diem non adfuit et dicit se fluminibus interclusum aut valetudine', diverso Cicero Inv. II, 98 et Hermog. 13, 12. — 14. deprecatio est — misereantur. Cic. Inv. I, 15 eadem fere sunt verba; Quint. VII, 4, 17 haec habet: 'ultuma est deprecatio, quod genus causae plerique negarunt in iudicium unquam venire: quin Cicero quoque pro Q. Ligario idem testari videtur quom dicit: causas, Caesar — posthac (pro Lig. 30) et cetera'. in iudicio deprecatio sane inutilis est, nisi addamus, nos ea uti nolle, quod monet Cic. Inv. II, 104 'parte eius generis, quom causam non in eo ut depreceris, constitueris, uti licebit' (sic legendum ex Erf. aliisque libris), sequiturque hoc praeceptum in or. p. Flacco § 26: 'in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam, in quo etiam si quid errasset, omnes boni connivendum esse arbitrarentur? quod quidem ego non modo non postulo, set contra, iudices, vos oro et obtestor, ut totam causam — acerrume contemplemini.' talem deprecationem tribuit Hortensio Verr. II, 5, 2 'inperatorum penuriam conmemorabit, tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro suo iure contendet, ne patiamini talem inperatorem populo Romano Siculorum testimoniis eripi' at Flaccum ut defenderet, similibus artibus usus est, cf. initium orationis.

23, 1. in loco communi per amplificationem. communis locus a Cornificio non dicitur, nisi qui in alia causa a reo, in alia ab accusatore proferri potest (II, 9), at amplificatio solius accusatoris est. (II, 26, 47) videntur hic quoque interpolatori Ciceronis verba obversata esse Inv. II, 104: 'deinde augere beneficia licebit et iudices per locum communem ad ignoscendi voluntatem deducere.' 3. ergo in iudicium non venit. cf. Cic. Part. 43 'quae motu animi et perturbatione facta

sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen in legitumis iudiciis non habent, in liberis disceptationibus habere possunt' causa exponitur ab Anaxim. 78, 10. aut ad inperatorem et ab ipso scriptore non profectum set imperatorum demum aetate inculcatum esse in Praef. suspicati sumus adhibito Quint. VII, 4, 18 'in senatu vero et aput populum et aput principem — habet locum deprecatio.' imperatoris mentio non invenitur Cic. Inv. II, 105, neque infra II, 26. — 5. ex translatione criminis. Cic. Inv. I, 15: 'relatio criminis est, quom ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante iniuria lacessierit' Qu. VII, 4, 8. 'in quo genere (const. iurid. adsumpt.) fortissumum est, si crimen causa facti tuemur, qualis est defensio Orestis Horatii Milonis. ἀντέγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat eius accusatione, qui vindicatur.' cf. Hermog. π. στασ. 13, 3. — 8. ex remotione criminis. diversam distinctionem remotionis tradit Cic. Inv. I, 15: 'rem. cr. est, quom id crimen, quod infertur, ab se et ab sua culpa vi et potestate in alium reus removere conatur. id dupliciter fieri poterit, si aut causa aut factum in alium transferetur: causa transfertur, quom aliena dicitur vi et potestate factum; factum autem, quom alius aut debuisse aut potuisse facere dicitur.' Quint. cum Cornif. consentit, VII, 4, 13. 'interdum culpa in hominem relegatur, ut si Gracchus reus foederis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret: interim derivatur in rem, ut si is, qui testamento quid iussus non fecerit, dicat per leges id fieri non potuisse. hoc μετάστασιν dicunt.' exempla remotionis inveniuntur aput Lysiam XXII, 8 sq. Cicer. in Vat. 16; Plin. Epp. III, 9, 12 minus huc facit. — 12. P. Sulpicium. completur hinc Vellei. narratio II, 19. iussu consulum: Q. Pompei, L. Sullae. 15. si quis ex testamento. exemplum plane convenit cum narratione Cic. de Fin. II, 55. — 16. ex conparatione. Cic. Inv. I, 15: 'conparatio est, quom [aliud] aliquod [alicuius] factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud quod arguitur, dicitur esse commissum.' ibi inclusa a nonnullis codd. recte omissa, praeterea 'esse' post 'utile' excidisse videtur. 18. C. Popillius. Liv. ep. 65. 'L. Cassius consul a Tigurinis Gallis pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est; milites, qui ex ea clade superaverant — cum hostibus pacti sunt.' idem fere narratur a Cic. Inv. II, 72 quod a Cornif. set non nominato Popillio; adde de legg. III, 40. simile Mancini exemplum a Quint. affertur VII, 4, 12.

24, 3. accersitur maiestatis. Cic. de legg. III, 17 perduellio-
26 nis reum dicit. 10. non necessarium fuit cum deterioribus libris addere 'ratio est' praesertim quom infra redeat definitio: 'ergo, ut ostendi, ratio ea est, quae continet defensionem.' 13. quae nisi intercederet, ne causa quidem esset. sic Cic. Inv. I, 18: 'ratio est quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controvorsiae relinquatur.' ibidem leges: Orestes si accusetur matricidi nisi hoc dicat: iure feci, illa enim patrem meum occiderat, non habet defensionem, qua re omnis quoque controvorsia sublata est. 17. firmamentum quae-

rendum est, id est, quod continet accusationem. plane ex contrario Ciceroni Inv. I, 19 'firmamentum est firmissuma argumentatio defensoris et potissuma (sic optumus liber *k*, vulgo 'aptissima' aut 'appositissima' legitur) ad iudicationem.' ad Cornificianam appellationem redit Part. 103 'rationem appellamus eam, quae adfertur ab reo ad recusandum depellendi criminis causa, quae nisi esset, quid defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest.'

25, 5. ex coniunctione firmamenti et rationis. accuratius sic Cornif. quam Cicero, qui (secundum p^1, a quo veram scripturam servari et sequentia docent et Victorini scholia) omissa defensione rationis Inv. I, 18 'iudicatio est' inquit 'quae ex infirmatione rationis nascitur controvorsia.' plenius iterum et rectius Part. 104 'rationum et firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem.' defensione aperte glossema est rationis, quod ne casu quidem recte habet; 'ratione defensionis' quod in *o* et cod. Gothano est, cur ferri nequeat, satis liquet. 9. reperta iudicatione — oportebit. cf. Part. 109, Top. 95: de or. II, 114, ubi Antonius narrat 'cum — accepto causae genere et cognito rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et iudici.' ipse Cic. Verr. II, 5, 2 eadem locutione utitur: 'quid agam, iudices? quo accusationis meae rationem conferam?' 12. praeterquam in 27
coniecturali constitutione. nam in ea, ut ait Cic. Inv. I, 19 'necesse est eandem esse quaestionem et iudicationem ut: 'factum est — non est factum — factumne sit' et (II, 111) 'simplex erit iudicatio et in quaestione ipsa continebitur' igitur etiam II, 15 requiritur talis sententiae conformatio: 'ex quibus quaestio eadem in coniecturali constitutione quae iudicatio.' 15. intentio — infitiatio — iudicatio indoctorum lectorum causa appositi sunt indices, recte omittuntur aput Cic. Inv. I, 19 ubi noli tollere verba 'factum est — non est factum' respondentia superioribus I, 18 'non iure fecisti — iure feci.' 18. si plures erunt constitutiones — erunt. Cic. Inv. II, 102: 'quaedam genera causarum simpliciter ex sua vi considerantur, quaedam autem sibi aliud quoque aliquod controvorsiae genus adsumunt, qua re omnibus cognitis non erit difficile in unam quamque causam transferre, quod ex eo quoque (sc. ex uno quoque) genere conveniet' idem II, 110 'omnino — qui diligenter omnium causarum vim et naturam cognoverit, quom genere primo tum etiam forma eas intelleget dissidere, ceteris autem partibus aptas inter se omnis et aliam in aliam inplicatam videbit.' (locus volgo et lectionis et interpunctionis vitio obscuratur.) exemplum huius rei suppeditet Miloniana, ubi primum constitutio iuridicialis absoluta adhibetur: licuisse reo vitam contra Clodii insidias defendere; deinde hoc ipsum, a Clodio non a Milone insidias esse factas ex constitutione coniecturali probatur, postremo contendit orator iuridiciali usus adsumptiva, etiam si res aliter haberet, tamen egregie de re puplica Milonem Clodii interfectione meriturum fuisse; itaque ante perorationem haec ponit: 'set iam satis

multa de causa: extra causam etiam nimis fortasse multa' (92). eo respiciens ridicule ineptit declamator de domo (32) 'intellego, pontifices, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerit aut voluntas mea, set hoc conpensabo brevitate eius orationis, quae pertinet ad ipsam cognitionem vestram.' quod autem coniunctionem constitutionum attinet, multus est in ea exponenda Hermogenes π. στασ. 22, 4 sqq. 33, 1 sqq. 38, 10 sqq. etc. 20. at omnes, ut proposui, est in simili loco infra III, 15. 'si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis aut vituperationis.'

26, 4. si quo tardius bene tuetur Halm Anal. Tull. 7 laudato Pompon. Dig. I. 2. 1. 26 'ut aliquo plures haberent' et Ulpian. ib. XIX, 2, 11, 2 'ne aliquo deterius faciat'.

II.

1 27, 2. in quibus partibus officiis artis. hac lectione optumorum codd. coniungitur cum Cornificiana appellatione 'officiis' Ciceroniana 'partibus artis' (Inv. I, 9). Cornif. ut supra I, 3, sq. de causis, quas orator recipere debeat et de officiis oratoris loquitur. 8. causarum tria genera sunt. male haec in editionibus separantur et plena interpunctione et maiore intervallo a verbis antecedentibus, quibuscum arte cohaerent. ait scriptor: de causis et officiis omnibus non potest uno tempore agi. igitur difficilluma potissumum h. e. primo loco tractemus: ex causis autem difficilluma est iudicialis, ex officiis difficillumum inventio. 10. hoc et priore libro. ineptissumum est, quod sic priore libro dicit se id egisse, ut absolveret genus iudiciale, quod hoc demum libro absolvetur. duplex interpolatio in deterioribus codd. et edd. hunc locum obsedit, simplex in melioribus: haec constat verbis 'et priore' genuit autem recentiorem 'egimus quom — tractaremus quorum.' illud 'priore libro' praeterea contra usum scriptoris est, alibi usurpantis 'primo libro' (II, 1, 26. III, 16); altera interpolatio mendax est: de quinque enim officiis nondum egit C. set aget in hoc relicuisque libris. resectis istis pannis iam patet comparatio causae iuridicialis et inventionis: illam hoc libro absolvet, haec quoque erit hoc libro propemodum absoluta; parvae enim partes Cornificio videntur genus deliberativum et demonstrativum, quae in tertium volumen transferentur.

2 28, 2. in primo libro inutile additamentum est, verbis enim 'ubi — incepimus' satis indicatur locus. 7. et partem constitutionis. quod volgo legitur 'et partes const.' significat in una causa plerumque plures partes status inveniri, quod et naturae rerum et scriptoris sententiae refragatur. 9. qua inventa — conferatur. in hoc brevi superio-

ris libri collectione Cornif. certo non posuit admonitionem bis iam paulo ante I, 25, 26 lectam. iniuria autem Schütz eiecit verba 'postea — adcommodarentur' immemor videlicet verborum I, 27 'si plures — reperientur.' 11. esse causas conpluris. quom additur 'conpluris', certae causae dicuntur contra voluntatem auctoris, qui in universum de constitutionibus earumque cognatione agit. 13. quae ratio posset inventionis — accommodare. ut partes orationis ad inventionem, ita inventio ipsa ad constitutionem accommodatur, cf. I, 4, et III, 1. 'ad omnem iudicialem causam quem ad modum conveniret inventionem rerum adcommodari.' 15. quas Graeci ἐπιχειρήματα appellant. cf. maxume Quint. V, 10, 1—19. — 18. docuimus ut 'docebimus' interpellat constructionem, omnia enim pendent a 'relicuom videbatur esse ut ostenderemus.' 19. qui locus erat proxumus de sex partibus orationis. index marginalis 'de sex part. or.' in causa fuisse videtur, ut adderentur ista 'qui locus erat proxumus' (s. extremus), ne sententia hiaret; in quo non attendit interpolator ad sensum vocabuli locus, qui non potest esse = pars orationis, set artificii (II, 50) aut sedes argumentorum (I, 4; Cic. Top. 8).

29, 1. et nimirum eam, quae difficilluma est, potissimum consideremus. quom statim pergat 'in causa coniecturali' commode omittitur 'coniecturalem' in optumis libris, 'quae prima' vero quamvis moleste abundans necessarium alieni videbatur, qui 'potissumum' quid esset, non intellegeret, cf. II, 1. — 3. idem docet Cic. Part. 121: 'narratio 3
accusatoris erit quasi membratim gesti negoti suspitiosa explicatio sparsis omnibus argumentis obscuratis defensionibus.' adde Quint. IV, 2, 54. exempla talis narrationis sunt aput Isocr. XVII, 3—24; Demosth. XIX, 9—63, Cic. p. Quint. 14 sqq. contra attenuationis Cic. p. Mil. 27 sqq.— 11. de probabili cf. laudata Speng. ad Anaxim. p. 154. — expedisse satis significat certum quoddam facinus, ut 'reo' addito non opus sit. 12. dividitur in causam et vitam. simplicior haec divisio quam Anaximenis 27, 23, a quo tria adiumenta τοῦ εἰκότος recensentur: φύσις (= πάθη) συνήθεια κέρδος, qua re, ut hoc obiter moneam, 28, 11 corrigendum τρίτον δὲ κέρδος· πολλάκις γὰρ διὰ τοῦτο τὴν φύσιν βιασάμενοι καὶ τὰ ἤθη προειλόμεθά τι πράττειν. Anaxim. κέρδος dicit, quod Cornif. causam, latiore sensu, neque eo, quem Isocrates usurpat, quom omnia omnes ἡδονῆς ἢ κέρδους ἢ τιμῆς ἕνεκα ait facere, XV, 217. Cicero autem, Inv. II, 16 omnem coniecturam ex causa ex persona ex facto ipso fieri vult, ut Quint. VII, 2, 7 quaeri in coniectura docens de facto de auctore de animo; causa autem a Cicerone in impulsionem et ratiocinationem distribuitur Inv. II, 17, Part. 112 sqq. et a Quint. V, 10, 33. VII, 2, 35. — 16. num honorem ut Clodius aput Cic. p. Mil. 32 — num pecuniam, ut Aeschines aput Demosth. XIX, 102—127.

30, 1. adhibeatur hic Lys. I, 44 sq. Cic. p. S. Rosc. 98. — 3. de 4
defensione Cic. Inv. II, 20 pluruma adfert, additque quaedam de opinione reorum et dubitatione, quibus Cornif. caret. causa fuisse negatur aput Lys. VII, 11—29, Antiph. V, 57—60, ubi argumentis eius rei expeditis

sic videtur orator dedisse: *ταῦτα μὲν ὑμῖν λέγω, ὡς αὐτῷ μοι πρόφασιν οὐδεμίαν εἶχε τὸ ἀποκτεῖναι τὸν ἄνδρα.* 5. iniquom esse dicet — devocari. cf. Cic. Inv. II, 36, Quint. VII, 2, 37. huc spectat Cic. p. Q. Roscio 22. 'HS Iↄↄↄ. Q. Roscius fraudavit Fannium. qua de causa? subridet Saturius, veterator, ut sibi videtur: ait 'propter ipsa HS Iↄↄↄ.' video, set tamen cur ipsa Iↄↄↄ tam vehementer concupierit quaero: nam tibi, M. Perperna, C. Piso, certe tanti non fuissent, ut socium fraudaretis: Roscio cur tanti fuerint, causam requiro.' 7. deinde codd. male inserunt, quasi haec de vita partem faciant eorum, quae de causa modo praecipiebantur. ceterum vide hic Cic. Inv. II, 32, Quint. V, 10, 38 et exemplum Cic. p. Quint. 11 sqq. ubi Naevii tractatur vita. 8. num quando simile quid fecerit. idem est aput Anaxim. 28, 22: *ἐὰν ἔχῃς, ἐπιδείκνυε αὐτὸ τοῦτο τὸ πρᾶγμα πολλάκις πεποιηκότα πρότερον, εἰ δὲ μή, ὅμοια τούτῳ.* utitur eo Lys. XXVII, 3, Isocr. XVII, 36, Cic. p. S. Rosc. 100, abstinet consulto Lycurgus 149. — 10. in eo debebit esse occupatus, ut ad eam causam peccati — vita hominis possit adcommodari. idem Hermogenis est praeceptum π. εὑρ. 88. 20 sqq. 91, 16. agitque sic Cic. p. Cluent. 70. 'haec, iudices, quae vere dicuntur a nobis, facilius credetis, si cum animis vostris longo intervallo recordari C. Staieni vitam et naturam volueritis· nam perinde ut opinio est de cuiusque moribus, ita quid ab eo factum aut non factum sit, existumari potest.' ex contrario pro Sulla 74: 'adspicite ipsum — conferte crimen cum vita: vitam ab initio ad hoc tempus explicatam cum crimine recognoscite — non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem.' 15. si non poterit — dispar. Cic. Inv. II, 33 'ex dispari quoque genere culparum, si ex pari facultas non erit, inprobare animum advorsari oportebit' id quod secuti sunt Caelii accusatores cf. Cic. p. Cael. 15 'a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio est vostra delapsa' et militis aput Lysiam IX, 1. improbatur autem haec accusationis ratio a Quint. VII, 2, 28. — 17. vel si quo modo poterit aliquo — personam. cf. III, 4. 'si qua in re cohortabimur aliquid'. obscurabatur olim constructio eo quod 'denique' in omnibus codd. praeter μ praefigebatur verbis 'aliquo aut' etc. quam pl. vitiis contaminare. displicet hoc quoque Quintiliano VII, 2, 34.

31. 1. sic Cic. Inv. II, 50. 'eiusdem esse qui in illa re peccarit et hoc quoque (del. 'et') admisisse'. Isocrates XVIII, 52 ex uno insigni Callimachi maleficio, quod enarrat, iudices de praesente lite concludere iubet. adde Aesch. I, 76, 93, 153, Cic. p. Mur. 13. — 3. facta non famam sp. op. Cic. Inv. II, 34. 'hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nil ad rem putent pertinere.' Quint. VII, 2, 33 'accusator — ad praesentem quaestionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit, dicens neminem non aliquando coepisse peccare.' exempla praebeat Demosth. XXX, 4; Dinarch. III, 6. *πάλαι τοιοῦτος ὢν ἐλάνθανεν ὑμᾶς,* adde 18. — 5. demonstrabit vitam integram ut Dem. XXI, 136, Hyperid. p. Lyc. col. 11—15; Cic. p. Q. Rosc. 17—23. idem Anaxim. 79,

10 praecipit. — 6. confugiet ad inprudentiam. cf. Cic. Inv. II,
37. 'sin autem in ante acta vita aliquae turpitudines erunt — inprudentiae
necessitudini persuasioni adulescentiae aut alicui non malitiosae animi ad-
fectioni adtribuentur.' 7. quibus rebus vituperatio eorum,
quae extra id crimen erunt, debeat assignari. haec enim sola
concedit defensor, quae nequeunt ad ipsum crimen accommodari: quod
volgo additur 'non' ante 'debeat' sensum efficit patrono plane contrarium,
ut iam Schütz intellexit. cf. etiam Cic. l. c. 'alicui non malitiosae animi
adfectioni adtribuentur, ut animus non omnino integer, set a tali culpa
remotus esse videatur.' 10. prius h. e. antequam extrema defensione
utatur. 11. rumoribus credi non op. Isocrates XV, 32 vetat in-
dices *ταῖς δόξαις χρῆσθαι ταῖς ἀδίκως ὑπ' ἐκείνων ὑμῖν ἐγγεγενημέ-
ναις.* vide etiam Cic. Inv. II, 37. — 13. extrema def. ut Cic. p.
Planc. 16. — de moribus aput censores. cf. G. A. Becker Antiqu.
Rom. II, 211 sq. — 16. conlatio. de ea Cic. Inv. II, 24: 'in hoc — 6
loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam
fuisse faciendi; secundariam, si tantam aut tam idoneam nemini.' p. Mil.
32: 'illud Cassianum 'cui bono fuerit' in his personis valeat.' adde p. S.
Rosc. 84. Antiph. II, α, 5. Isocr. XVII, 46 sqq. — 19. aut non aeque
commode potuisse. huc illa in frequentatione posita (IV, 53) spe-
ctant: 'neque praeteritum quidquam est ab isto, quod opus fuerit ad ma-
leficium, neque factum, quod opus non fuerit' et Quint. VII, 2, 42 'post
haec intuenda videntur et consilia — an alio tempore et aliter facere vel
facilius vel securius potuerit' etc. — 20. illas rationes meliorum codd.
lectio probari non potest, quia hic non ad certas quasdam rationes respi-
cit, alias autem aperte a correctore est: itaque notavi. 21. propter
cupiditatem 'quorum enim' ait Cic. p. Cluent. 183 'eminet audacia
atque proiecta est, a consiliis malitiae deseruntur.'

32, 1. defensoris rationes similes proferuntur a Cic. Inv. II, 26, ubi
ipsum nomen conlationis non invenitur: alia notione apparet I, 48, ut sit
'oratio rem cum re ex similitudine conferens', componaturque cum ima-
gine et exemplo. 3. signum. eius definitio exhibetur a Cic. (Inv. I,
48) diversa: 'signum est, quod sub sensum aliquem cadit et quiddam si-
gnificat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit aut in ipso
negotio aut post sit consecutum et tamen indiget testimoni et gravioris
confirmationis, ut cruor' etc. vides haec pleraque convenire cum partibus
argumenti infra 33, 16 sqq. tractandis. 4. id dividitur in partis
sex. eae ap. Cic. Inv. I, 37 sqq. subiciuntur gestioni negoti; enume-
rantur paene omnes p. Cael. 54 'non causa non locus non facultates non
conscius non perficiendi non occultandi malefici spes non ratio ulla non
vestigium maxumi facinoris reperietur.' 5. de loco vide Cic. Inv. I, 38 7
unde huc illata est 'solitudinis' mentio, quam nunc doleo non plane a me
sublatam auctoritate codd. *μt.* apte monet Longin. IX, 552 *ἔστιν δὲ ὅτε
καὶ τὸ ἐν ἐρημίᾳ δεινότερον καὶ τὸ ἐν ὄψει* (bene sic Spengel) *χαλε-
πώτερον.* exemplum loci in argumentatione adhibiti praebet Cic. p. Mil.
53. — 6. notanda masculini forma celebris. — 8. quod est factum,

perspectum recte ex corruptelis librorum elicere mihi videbar, cf. 34, 2 'num visus sit quom faciebat' volgo legebatur: qui est passus perspectus et exauditus. 10. perscribere verbum etiam duobus locis Inv. II, 53 et 68 Ciceroni restituatur, illic ex cod. Erf. hic ex Victorino. 11. eadem sententia redit aput Hermog. π. στασ. 50, 19. Cic. Inv. II, 45 ubi lege 'ad ea quae praecepta sunt, conparabunt, modo — conferant' (vel 'adferant'). 13. quo anni sc. tempore; explicatur lectione codd. μb: 'qua parte anni'. cf. Cic. Inv. I, 39: 'consideratur autem tempus et anni et mensis et diei et noctis et vigiliae et horae' etc. commode adhibebitur hic Cic. p. Mil. 53 'videte nunc illum primum egredientem e villa subito: cur? vesperi: quid necesse est? tarde: qui convenit, praesertim id temporis?' hiemem dicit. idem significatur adiectis 'qua hora' quae minime tolerari possunt, quom statim legatur 'qua — noctis hora' notione differente. cf. Halm. Anal. Tull. I, 9. 14. qua die. h. e. qua diei, forma Verg. G. I, 208 obvia.

33, 1. spatium. Cic. Inv. I, 39 'saepe oportet commetiri cum tempore negotium et videre, potueritne aut magnitudo negoti aut multitudo rerum in eo transigi tempore.' spatium, etsi non in coniecturali causa, consideratur in or. p. Quint. 79. 5. de occasione idem, I, 40: 'est pars temporis habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem.' significatur ea p. Tull. 34 'tempus ad insidiandum atque celandum idoneum.' 7. spes perficiendi breviter a Cic. Inv. I, 41 absolvitur 'facultates sunt aut quibus facilius fit aut sine quibus aliquid confici non potest.' — 'haec qua' optimorum codd. lectio nonnullis VV. DD. ad scripturam 'ecqua' ducere videbatur, nos 'haec' vetus interpretamentum habemus, adiectum ne absolute legeretur 'perficiendi.' at statim deest hic accusativus in 'spes celandi quae fuerit' omittendus vel concinnitatis causa priore quoque loco. 12. quaeritur ex consciis. propterea Cic. p. Cael. 57 interrogat 'cui denique commisit? quo adiutore usus est? quo socio? quo conscio? cui tantum facinus, cui se, cui salutem suam credidit? 13. aut utrisque post 'liberis aut servis' non est in μ^1, recte, videtur enim nihil ad rem conferre, utrum alterutri
8 adhibeantur an utrique. 15. argumentum est per quod res coarguitur certioribus argumentis. non temere displicuit Gronovio Ernesto Schützio 'argumentis' definitum vocabulum in ipsa definitione positum, quod autem 'inventis' aut 'indiciis' proposuerunt, mireris illos in mutationem multo faciliorem et ex ipsa scriptoris consuetudine confirmandam non incidisse: adiumentis, cf. I, 7, 18 (7, 15; 16, 13). ex vera lectione fortasse lemma natum est paulo infra alienissumo loco post 'de adiutoribus' (34, 1) iniectum 'de adiumentis' cui defendendo frustra cum Schützio admoveas Cic. Inv. II, 24 'si ratio adiutores adiumenta — defuisse alicui demonstrabuntur' aut II, 44 'si adiumenta si adiutores desint.' adiumenta autem pro argumentis sumpta invenimus etiam aput Cic. de or. II, 303 'mediocriterne causis nocent, quom aut advorsariorum adiumenta confirmant aut ea, quae sanare nequeunt, exulcerant?' ad sententiam facit Victorinus 95. ed. Or. 'signum non satis ad fidem valet, set

alterius firmioris argumenti indiget ad probationem.’ quod Cornificio argumentum, Anaximeni *σημεῖον* est 35, 22: *σημεῖον δέ ἐστιν ἄλλο ἄλλου — τό γε εἰθισμένον γίνεσθαι πρὸ τοῦ πράγματος ἢ ἅμα τῷ πράγματι ἢ μετὰ τὸ πρᾶγμα.* haec enim divisio consentit cum ea, quae hic legitur, 33, 16. reditque aput Cic. Inv. II, 43. Part. 114, Top. 5. Quint. V, 10, 45; Hermogeni sunt *τὰ ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους* (*π. εὑρ.* 128). 18. quocum visus sit. cf. Anaxim. 36, 10. Cic. Sull. 52. — numquid adpararit. ita quaerit Cic. p. Cael. 58. ‘ipsius autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quem ad modum paratum? etc. 20. num quid dixerit. hoc argumento Cic. p. Mil. 44. tamquam capitali utitur: ‘vos (Q. Petillius M. Cato) ex M. Favonio audistis Clodium sibi dixisse — periturum Milonem triduo: post diem tertium gesta res est quam dixerat. quom ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare quid fecerit’? hinc suspicor Ciceronem Top. 52. ‘ante rem — quaeruntur, quae talia sunt ‘adparatus conloquia locus constitutum convitium’ dedisse, non ‘convivium’. num quid habuerit de consciis h. e. num quid conpererit a consciis.

34, 1. de adiumentis. cf. notata ad 33, 16. num quo in loco Ernesto commodum sensum habere non videbatur. at recte Schütz: ‘imo est apertissumus: quaerendum dicit auctor, num reus aliquo in loco praeter consuetudinem fuerit aut alieno tempore, quod utique suspiciosum est. contra si hic legimus ‘numquid in loco’ id valde obscurum est, nam quid est, quaeso, illud ‘quid’? 2. in instanti tempore. Cic. Top. 52 ‘cum re autem: pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbra et si quid huiusmodi’. adde Quint. VII, 2, 46. — 4. num quid aliquo sensu perc. attende ad generale vocabulum ‘quid’ quod Schützium praeteriit, tollentem propterea aspectu auditu quasi iam ante tractata. 9. tumore quod addidimus ‘praeditum’, (in nota) ex II, 44 petitum est. 11. si telum. cf. Cic. Part. 39 ubi consequentis temporis argumenta cum consecutione commiscentur, ut ibid. 114. — 12. si in eo loco conprehensus Cic. de or. II, 170, ubi argumentorum locos recenset, hoc consequentium affert exemplum: ‘si et ferro interfectus ille et tu inimicus eius cum gladio cruento conprehensus in illo ipso loco et nemo praeter te ibi visus est et causa nemini et tu semper audax, quid est, quod de facinore dubitare possimus?’ 17. cf. IV, 53 ‘si — postero die titubanter et inconstanter de occisione illius locutum’ (constat) et Cic. Cat. III, 13: ‘ac mihi quidem quom illa certissuma sunt visa argumenta atque indicia sceleris — tabellae — tum multo illa certiora: color oculi, voltus taciturnitas. sic enim obstupuerant’ etc. 19. sint necessarius hic et 35, 2 est coniunctivus, ubi accusatoris oratio refertur, non ipsius scriptoris sententia exponitur.

35, 1. resisteret responderet. quom ‘resisteret’ non idem sit ac ‘responderet’, hoc nolim pro illius glossa habere. 2. confidentiae. ne postules, quod φ habet. ‘conscientiae’ reputa hoc argumentum esse *ἐκ συζυγίας* sive *συστοιχίας*, et iocose proferri: quod confidenter responderit, nil eo probari, nisi confidentem esse hominem. 6. adprobatio

Anaximeni 36, 14 *ἔλεγχος* est. s. loci proprii et communes aliter distinguuntur a Cic. Inv. II, 47: 'omni — in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae solum, quae dicetur et ab ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnis eiusdem generis causas transferri non satis commode possit: pars autem pervagatior et aut in omnis eiusdem generis aut in plerasque causas adcommodata. haec ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communis appellamus' deinde tamen cum Cornificio consentit, ubi ait Inv. II, 48: 'locus communis aut certae rei quandam continet amplificationem — aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabilis rationes argumentandi, ut suspitionibus credi non oportere'. consentit etiam de or. III, 106, quo loco legimus 'alii vero (habent) ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet'. usus autem communium locorum non solum in fine orationis commendatur ab artis scriptoribus, set, ut docet Cic. Part. 52 'in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur confirmata re aliqua aut reprehensa' et idem Inv. II, 49 'distinguitur — oratio atque inlustratur maxume raro inducendis locis communibus et aliquo loco iam certioribus illis argumentis confirmato' (sic dedi, cf. 53 'oportebit — hunc locum communi loco confirmare' et Part. 52) nam et tum conceditur commune quiddam dicere quom diligenter aliquis proprius causae locus tractatus est et auditoris animus aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus iam dictis exsuscitatur'. idem vult Longinus IX, 555 dicens: *ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον ἀποδεικνυμένοις τὸ εἶδος αὐτῶν* (sc. *τῶν ἐπιλόγων*) *χρήσιμον.* de communibus locis in universum agit Hermog. Prog. I, 29, Aphthonius Prog. I, 80, Theo Prog. I, 157 et 222 sq. Lycurgus, severus homo, ait sycophantarum esse *ζητεῖν τὰ χωρία ταῦτα, ἐν οἷς τοὺς παραλογισμοὺς κατὰ τῶν ἀγωνιζομένων ποιήσονται* (31). ac sane iis maxume oratores iudicum mentes decipere conantur. inventio communium locorum a Cic. Brut. 47 Protagorae tribuitur. 10. proprius locus accusatoris — criminatur. eadem fere sunt aput Cic. Inv. II, 51. — 15. ab testibus — contra rumores. haec et alia enumerantur a Cic. Inv. II, 50, eaque latius persequitur Quint. V, capp. 3, 4, 7. praeterea vide Cic. Part. 120, Top. 73 sqq. de or. II, 118 sqq. et An. Seg. 445, 28, qui de tractatione *τῶν ἐντέχνων καὶ ἀτέχνων πίστεων* agens necessario monet *κἂν ἰδιώτης εὕροι* (*τὰς ἀτέχνους*)· *ἔργον δὲ τοῦ ῥήτορος ἐν ταῖς ἀ. π. τὰ μὲν βοηθοῦντα αὐξῆσαι καὶ βεβαιῶσαι, τὰ δὲ καθ' ἡμῶν ἐπισμικρῦναι καὶ ὡς οὐκ ἀξιόπιστα διαβαλεῖν.* paulo ante 445, 21 legendum est: *ἄτεχνοι μὲν ἃς ἐξ ἑτοίμου πορίζόμεθα, ἔντεχνοι δὲ ἃς ἐκ τῆς τέχνης λαμβάνομεν.*

36, 1. quid pro testibus dici possit, Cic. docet Part. 117, quid contra testes ib. 49. — 2. cum Cornificii verbis vitae turpitudinem testimoniorum inconstantiam congruunt ista aput Anaxim. 39, 7. *δεῖ τὸν τρόπον τοῦ μάρτυρος διαβάλλειν, ἂν ᾖ πονηρός, ἢ τὸ μαρτυρούμενον ἐξετάζειν, ἂν ἀπίθανον τυγχάνῃ.* aput Ciceronem plurima sunt exempla luculentissuma reprehensorum testium, cf. p. Font. 11 sqq. p. Scauro 38 sqq. p. Cael. 20 et passim, tota fere or. p. Flacc. maxume 21 sqq. — 5. ar-

gumentari. Orelli voluit olim ʽargutariʼ immemor loci IV, 47 ʽsi testem, praeterquam quod sciat aut audierit, argumentari et coniecturam persequi patieris, ius accusatoris cum iure testimoni commiscebisʼ. scilicet testi non licet quod oratori, cui haec Quint. IV, 2, 103, 108 praecipit: ʽetiam narrationi insit argumentatioʼ — ʽinseremus expositioni et brevem, quom res poscet, defensionem et rationem factorum: neque enim narrandum est tamquam testi, set tamquam patronoʼ. 6. noli iis codd. obsequi, in quibus legitur ʽad probationem et ad inprobationemʼ, hic enim de sola reiectione testium agitur; tenendum est ʽad interrogationemʼ, collato Cic. p. Flacc. 22 ʽubi est igitur illa laus oratoris, quae vel in accusatore antea vel in patrono spectari solebat: bene testem interrogavit: callide accessit: reprehendit: quo voluit, adduxit: convicit et elinguem reddiditʼ. 7. a quaestionibus. hic vide Arist. Rhet. I, 15, 26 Anaxim. 40, 6 cum notis Speng. laudantis Antiph. VI, 27, Lys. VII, 36 Isocr. XVII, 53. Is. VIII, 28, unde locum transscripsit Dem. XXX, 37, citatus a Theone Prog. I, 166: *ἔστι δὲ καὶ ἐν ἑκάστῳ λόγῳ εὑρεῖν θετικὸν κεφάλαιον, οἷον ἐν τῷ Δημοσθένους κατὰ Ὀνήτορος ἐξούλης, εἰ ἀληθεῖς αἱ βάσανοι καὶ ἐν τῷ παρὰ Αἰσχίνῃ κατὰ Τιμάρχου, εἰ ἀληθεῖς αἱ φῆμαι καὶ ἄλλα ἄλλοθεν.* res obiter a Cic. tractatur Top. 73, amplius in Part. 117 sq. unde haec excerpamus: ʽdicendum — de nostrorum etiam prudentissumorum hominum institutis, qui quom de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen et coniuratione, quae facta me consule est, quaerendum putaverunt.ʼ cf. praeterea p. S. Rosc. 77, 119. 10. quae dicta erunt, h. e. a servis in cruciatu. male vulgo iungitur ʽargumentandoʼ his verbis iungendum verbo ʽtrahemusʼ. 11. isdem viis, cf. 37, 5. — 13. contra quaestiones. nonnulla convenientia, nonnulla etiam diversa sunt aput Cic. Part. 50. adde p. Sull. 78. Antiph. V, 30 sqq. An. Seg. 451, 29. — 14. certis in rebus. de quibus non potest ambigue responderi, quae facta investigatione necessario aut probantur ac deinde servantur, aut statim refelluntur. servari qui hoc sensu dici non intellegerent, corrigebant ʽsciriʼ. 17. quo in loco quid positum sit displicebat Ernesto, consecutionem temporum postulare putanti, ut ʽessetʼ scriberetur, legebatur enim statim ʽpossetʼ (quod in varietate lectionis adscribere male omisi). at hoc ipsum secundum auctoritatem codd. *hte* corrigendum erat: exemplum enim a Cornif. datur, non oratio maiorum refertur. 17. et si quid videri aut aliquo sensu percipi possit. haec antea vehementer depravata erant, legebatur: ʽet si quid esset simile quod videri aut aliquo simili signo percipi posset.ʼ Lambinus, cui frustra obloquitur Graevius, vidit ineptum esse ʽsignoʼ, requiri ʽsensuʼ quod nunc unus saltem liber ϱ^3 offert, omittens idem praeterea recte ʽsimiliʼ. scilicet signa ipsa non percipiuntur, set quod sensu aliquo perceptum est, potest signum praebere. 19. ad eminiscendum. haec lectio hic quidem soli *h* debetur; infra 37, 22 est etiam in *π*. Halm confert O. Müllerum ad Varr. de L. L. VI, 44.

37, 2. quid quaesitor velit audire. ridicule hoc describitur a Cic. p. Mil. 60: ʽage vero quae erat et qualis quaestio? heus tu, Rufio,

verbi causa, cave sis mentiare: Clodius insidias fecit Miloni? fecit. certa crux. nullas fecit. sperata libertas. quid hac quaestione certius?' similia vide ap. Antiph. V, 31. 5. partibus coniecturae. Cic. Part.
11 118: 'dictaque quaestionis argumentis et coniectura ponderanda'. 10. plus oportere signis — credi quam testibus. Isaeus VIII, 6 in universum pronuntiat τεκμήρια κρείττω τῶν μαρτυριῶν εἶναι, set IV, 12 peculiare praeceptum profert: ἐν μόναις — ταῖς τῶν κλήρων εἰσαγωγαῖς δοκεῖ μοι προσήκειν τεκμηρίοις μᾶλλον ἢ μάρτυσι πιστεύειν. praeterea vide Aristot. Rhet. I, 15, 17; An. Seg. 451, 23. Hermog. π. εὑρ. 113. Cic. p. Cael. 22 sq. 66. Part. 49: 'dicendum est argumenta rerum esse propria, testimonia voluntatum'. 11. quo re vera sint gesta. at non geruntur argumenta et signa, quapropter aut neglegentiorem h. l. scriptorem fuisse aut dedisse 'quo res vere sit gesta' suspicor. 12. vel pretio vel gratia vel metu vel simultate. metum ab Hermog. commemoratum π. εὑρ. 113, 10 omittit Anaxim. 39, 14 οἱ μὲν διὰ χάριν, οἱ δὲ διὰ τιμωρίαν, οἱ δὲ διὰ κέρδος ὑποπτεύονται ψευδῆ μαρτυρεῖν. pluribus Cic. haec persequitur p. Font. 11, 15. cf. praeterea p. Sull. 78. sq. p. Scauro 38. de metu testibus iniecto Verr. I, 28; Demosth. XL, 58 Aeschin. I, 90 sqq. — 14. quae contra argumenta et signa proferenda sint, Aristot. docet Rhet. I, 15, 17. vide etiam
12 Anaxim. 79, 20. — 19. ab rumoribus. a Cic. Top. 76 'fama volgi quoddam multitudinis testimonium appellatur'. pro rumoribus disputat Aeschin. I, 125—131 et iam inde a 75; idem II, 145 docet, quid intersit inter φήμην et διαβολήν, ut Demostheni malam famam iure obesse ostendat; at is contra Aeschinem ipsius sententiam retorquet XIX, 243 sq. conf. etiam XXI, 131.

38, 1. contra rumores. exempla vide aput Demosth. XL, 51. Cic. p. Cael. 38. p. Planc. 56. p. Font. 10. — 16. offensatione vocabulum priscum, set a scriptoribus argenteae aetatis repetitum cf. Senec.
13 de benef. V, 5, 25; Quint. XI, 3, 130. 18. quom voluntas scriptoris cum scripto dissidere videbitur. hoc Cic. Inv. II, 121 sic circumloquitur: 'quom alter verbis utitur ipsis, quae scripta sunt (sic Erf. cod. et Victorin.), alter ad id, quod scriptorem sensisse dicet, omnem adiungit dictionem.' Isocrates VII, 41 leges accurate scriptas distinguit ab iis, in quibus interpretandis aliquis calumniari possit.

39, 1. secundum narrationem. mireris hoc olim improbatum fuisse VV. DD. quasi constitutio legitima spernat narrationem. eundem atque hic ordinem praecipit Cic. Part. 133: 'qui scripto nitetur, eum re exposita recitatione uti oportet, deinde instare advorsario.' etc. 2. scriptoris conlaudatione. Cic. Inv. II, 150 postulat 'eius scripti quod proferas, conlaudationem'. 125 autem 'scriptoris conlaudationem.' 3. cf. Cic. Inv. II, 125 'quem locum multis modis variare oportebit tum ipsum secum admirantem, quidnam contradici possit — tum ipsum advorsarium quasi intentantis loco producendo hoc est interrogando (fo. legendum 'quasi in testis loco productum interrogando' sive 'interrogantem'), utrum scriptum neget esse eo modo.' 5. conlatione, quid scriptum sit,

quid adversarii se fecisse dicant. Cic. Inv. l. c. poterit uti — 'facti aut intentionis adversariorum cum ipso scripto contentione: quid scriptum sit, quid factum, quid iuratus iudex'. sic a semet actum narrat Aeschin. III, 203, (vide eundem etiam I, 8). — 6. quid iudicem — excogitatum. nimirum certum est, ut ait Cic. Inv. II, 132 'ceteros civis, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio et ex ea ratione, quae in mentem aut in lubidinem venerit, non ex communi praescripto civitatis unam quamque rem administrarit'. hinc legendum videtur Inv. II, 134 'amentiam esse, eius rationem, (codd. 'rei') qui peccarit, potius quam legis ipsius verba cognoscere'. quod iudices attinet, Anaxim. 77, 1 praecipit: *ὑπομίμνησκε τοὺς δικαστάς, ὅτι οὐχ ὑπὲρ τοῦ νόμου, ἀλλὰ τοῦ πράγματος δικάζουσιν ὀμόσαντες κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους τὴν ψῆφον οἴσειν.* eandem sententiam Lysias profert XV, 9. — 10. quid ei offuerit, si id voluisset ascribere. similiter Cic. quaerit Part. 134: 'quid inpedierit scriptorem, quo minus exciperet illud, quod adversarius tamquam si exceptum esset, ita dicit se secutum?' Inv. II, 130 iubetur defensor scripti affirmare: 'non fuisse ei (scriptori) grave nec difficile eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quidquam excipiendum putasset: consuesse eos, qui leges scribant, exceptionibus uti'. cf. etiam Hermogenes *π. στασ.* 54, 10 sqq. ubi qui scripto nititur, *τὸ μὴ προσδιωρίσθαι* gravissumum argumentum habet, reus autem contra affert: *οὐδὲν ᾤετο δεῖν περὶ τῶν φανερῶν ὁ νομοθέτης διορίζειν κελεύων τοὺς ἐπ' εὐνοίᾳ* (sc. *ἀνιόντας ξένους ἐπὶ τὸ τεῖχος*) *μὴ κεκωλῦσθαι.* 12. sententia reperietur. nescio an Cornif. dederit 's. aperietur' nam exponi et demonstrari contra eos debet, qui legem aliud velle dicunt. verbum hac notione saepius obvium, ut 1, 4, 7, 8, 13, II, 2.

40, 2. quam periculosum sit ab scripto recedere. in causa celebratissuma Curiana Q. Scaevola plurima pro scripto attulit: 'quam captiosum esset populo, quod scriptum esset, neglegi et opinione quaeri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervortere' (Brut. 196). itaque, ut ait Cic. Part. 135 'amplificandi causa de conservandis legibus de periculo rerum puplicarum atque privatarum quom aliis locis tum in perorando maxume graviter erit vehementerque dicendum?' sententia haec singulari simplicitate ab Antiphonte V, 14 pronuntiatur, praeclare a Cic. p. Cluent. 146 sqq. exornatur. — 3. locus communis idem est ap. Cic. Part. 127 'minume esse concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi se interpretatione defendat.' 7. 14 quod tantum scripserit, quod necesse fuerit. audiendus hic imprimis Aristoteles Rhet. I, 15, 2: *φανερὸν — ὅτι ἐὰν μὲν ἐναντίος ᾖ ὁ γεγραμμένος τῷ πράγματι, τῷ κοινῷ νόμῳ χρηστέον καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν ὡς δικαιοτέροις καὶ ὅτι τὸ 'γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ' τοῦτ' ἐστὶ τὸ μὴ παντελῶς χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις.* idem I, 13, 13 *τὸ ἐπιεικὲς* appellat *τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον* et leges a magistratibus interpretandas atque ad utilitatem accommodandas esse *περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν — λέγειν ἀκριβῶς* indicat Polit. III, 11 extr., sic Demosth.

XXXIX, 10: *ὧν γ' ἂν μὴ ὦσι νόμοι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκατε.* praeterea vide Anaxim. 77, 4 sqq. (cum locis oratorum a Speng. laudatis Lys. X, 6 sqq. XIV, 4 sqq. XVI, 6, 7; Isae. I, 13) Ciceronem Inv. II, 138 sqq. de or. I, 243, Brut. 198. multis in Caeciniana quoque contra scriptum disputat, set in extrema oratione 91—93 scripto utitur callide adversus sententiam. 9. calumniatoris esse officium verba et literas sequi. simillima sunt haec Ciceronis pro Caec. 65: 'illud in tota defensione tua mihi maxume mirum videbatur, te dicere iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere — nam ceteri tum ad istam orationem decurrunt, quom se in causa putant habere aequom et bonum, quod defendant, si contra verbis et literis et, ut dici solet, summo iure contenditur: tum solent eius modi iniquitati boni et aequi nomen dignitatemque opponere — tum vociferantur ex aequo et bono, non ex callido versutoque iure rem iudicari oportere; scriptum sequi calumniatoris esse, boni iudicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere'. hic ex codd. aliquot restitui 'orationem' pro volgato 'hortationem,' sine codd. inserui 'tum' ante solent et verba 'si contra' etc. superioribus arctius iunxi. in 'calumniatoris officio' non offendisset Oudendorp. si meminisset IV, 46 'quom canes funguntur officiis luporum.' 11. non lege — posse fieri. hae partes iuris sunt, de quibus cf. II, 19 — 12. quae habuisse — dicet addit scriptor ipse orationi eius, quem facit defensorem sententiae contra scriptum. locus autem vitiatus et inepto glossemate auctus ab aliquo, cui quaedam omnino non posse fieri (11) et tamen rectissume fieri viderentur. scriptura pro scripto ut supra I, 6 'ab lege ab scriptura — principium capere oportebit.' habuisse, ubi expectes habere cf. cum II, 13 'scierintne adversarii id scriptum fuisse in lege.' 14. iustissume facta. compares defensionem Epaminondae, qui contra leges imperium retinuerat ante pugnam Leuctricam, Cic. Inv. I, 69, ubi haec fit argumentatio: 'quod si leges omnis ad utilitatem rei puplicae referri convenit, hic autem saluti rei puplicae profuit, profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse et legibus non optemperasse.' contrariam sententiam aut nullam esse aut stultam cf. Cic. Inv. II, 141, p. Caec. 64. p. Balb. 20 sqq. — 18. exemplorum — enumeratione utemur. recepimus verbum in solo φ servatum, quia haec correctio potius quam lectio multis locis confirmatur, e. g. 41, 14 'nostrae legis expositione — utemur.' quae Cornif. hic fieri iubet, Cic. p. Caec. 53. eodem ordine exequitur, ubi pro exemplo primum affert Curianam causam, deinde aliquot leges et testamentum.

41, 3. locus communis. Cic. Part. 127. 'defensor — et ea, quam proposui, aequitate nitatur et ea quom secum faciat, non re, set depravatione verbi se urgeri queratur.' 5. de contrariis legibus vid. Aristot. Rhet. I, 15, 24; Isocr. XII, 144. Anaxim. 82, 1. Hermog. π. στασ. 59, 4. Cic. Inv. II, 145. — 7. ut altera iubeat, altera vetet 'nam saepe ea' ut dicit Cic. l. c. 'quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quae iubet.' accusator C. Balbi (19) talem duarum legum

repugnantiam sibi videbatur invenisse. 12. id quod posteriore lege sancitum sit esse neglectum. hoc queritur Andocides I, 103: τὴν μὲν ἔνδειξιν ἐποιήσαντό μου κατὰ νόμον κείμενον, τὴν δὲ κατηγορίαν κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ πρότερον γεγενημένον περὶ ἑτέρων.

16. trahemus ad nostrae causae commodum ea ratione, quae indicatur Inv. II, 147 'suae legis ad scriptum ipsam sententiam quoque adiungere, contrariam vero legem (sic Erf.) item ad aliam sententiam transducere, ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se.' cf. Demosth. XXIV, 144—148. Hermog. π. στασ. 58, 7.

42. 2. recte factum esse a nobis probabimus partibus iuris, quibus constat constitutio iuridicialis absoluta. verum cum faciant nullo sensu habent optumi codd. utrum cum ea faciant ceteri: 'ea' spectat ad legem, set duae sunt, de quibus agitur, ac quaestio est, utrum ea lex, quam nos secuti sumus, an ea, quam adversarii, verior sit: cum veriore partes iuris convenient, ergo dedimus 'cum utra faciant.' Orelli servans 'utrum cum ea faciant' non reputavit sic dici partes iuris cum iuridiciali constitutione, cuius partes sunt, dissentire posse. 2. de qua parte iuris codd. paene omnes, at pluralis requiritur. quod intelleget lector comparato Cic. Inv. II, 61: 'id ex partibus iuris, de quibus post dicendum est, sumi oportebit.' nec praecedens 'faciant' alio ducit. quod autem editioni Mediol. lectionem illam tribui, plane memoria lapsus sum: nata est ex sola mea huius loci et alterius aput Cic. contemplatione.
4. de ambiguo scripto agunt Aristot. Rhet. I, 15, 10, Anaxim. 77, 7 (ubi 16
cf. notam Speng.) Cic. Inv. II, 118 sqq. Part. 132 sq. etiam Theo Prog. I, 254 sqq. — scriptum esse putabitur. edd. pleraeque, etiam recentissumae retinent lectionem alterius familiae 'est scriptum ut puta' s. 'esse scr. putabitur. ut puta'; incommode tamen haec formula adiecta est, ubi definitio, non exemplum sequitur. 11. dialecticos Cornif. graviter vituperat, Cic. commendat de or. II, 111, fortasse illius reprehendendi causa, dicens 'ambiguorum plura genera sunt, quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant.' 16. eas etiam quae — sententiam nullam possunt interpretari. num ipsae amphiboliae interpretantur sententiam? vix credo nostrum tam neglegenter locutum esse ac non dedisse quod h. l. requiritur 'quarum — sententiam.'

13. 5. nomen suum pronuntiare non possunt. plane similis vituperatio eorum philosophorum, qui διαλόγους ἐριστικοὺς instituunt, est aput Isocratem XII, 28. — 7. hoc interdicere nobis invitis relictum est, nam auctoritate optumorum librorum iampridem hoc intercedere restituebamus. cf. Cic. p. Tullio 29: 'videtis praetores per hos annos intercedere hoc' ('interdicto' supplet Peyron). qui 'hoc' ablativum casum esse non animadverterent, corrigebant 'interdicere' unde Lambinus
et alii 'interiicere' faciebant, longius etiam a vero digressi. 10. quom 17
definitione utemur. Cic. Inv. II, 52 secundum Hermagoream distributionem tractat definitivam constitutionem. exempla non eadem quidem, set item a maiestatis crimine repetita habet hic et Part. 105, de or. II,

107, 199 sqq. in Inv. Flaminii, qui — per seditionem ad populum legem agrariam ferebat, in ceteris locis Norbani, qui de Q. Caepione turbulentius egerat. 11. praeceptum, ut primum afferatur brevis vocabuli definitio, sequitur quidem Cic. in or. p. Balbo, ubi exponit, quid sit ‘fundus populus’ quid ‘sacrosanctum’ (20, 33) irridet tamen de or. II, 108: ‘in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat, quod mihi quidem perquam puerile videri solet — etenim definitio primum reprehenso verbo uno aut addito aut dempto saepe extorquetur e manibus, deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem, tum in sensum et in mentem iudicis intrare non potest. — ‘maiestatem is minuit.’ verba sunt L. Saturnini, cui statim (15) repondet Q. Caepio. quae sunt ea? quae capiunt. haec est lectio edd. inde a Cratandr. 1528 usque ad Orell. 1841. vestutiores cum Pal. 1. habebant ‘haec sunt ea, quae cap.’ verba, ut ineptum glossema eicienda esse statuerunt Graevius Oudendorp Ernesti; Schütz. plane eiecit; revocavit Klotz mutata interpunctione: ‘quae sunt ea, quae capiunt’ et addidit ‘si scriptor pro ‘quae sunt ea, quae’ etc. dixisset: ‘haec autem sunt ea, quae’ etc. fortasse nemo de loco dubitasset; sed non debet offendere repetitum pronomen; vid. II, 30; verba autem ‘quae capiunt suffragia populi’ faciliora essent ad intelligendum, si scripsisset auctor: quae continent suffragia etc. quamquam verbum capiendi recte usurpatum est v. III, 19, 31.’ at verba a Kl. citata ‘nimis angusti (loci) saepe non videntur posse capere imaginum conlocationem’ minime comparari possunt cum iis, de quibus nunc agitur: scilicet quae capiunt, cum iis, quae capiuntur, eadem esse nequeunt. nos usi lectione codd. *he*: ‘capio’ scripsimus non nimis audacter: quae sunt ea, quibus caveo: cavere autem sibi videtur Saturninus populi ‘suffragiis et magistratuum consilio, quom Caepionem maiestatis accersit. suffragia magistratus. in hic subsistitur, quia solis suffragiis populus potestatem suam prodit, nec magistratus ullam servat dignitatem, si privetur consilii sui effectione. explicandi gratia aliquis ‘populi’ et ‘consilia’ interposuit. ducta ista sunt ex seqq. ‘nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum consilio privasti, quom pontis disturbasti’. 19. vocabuli sententia. cf. Cic. Inv. II, 53.

44, 3. ratio refelletur, si aut falsa erit aut inutilis aut turpis aut iniuriosa. paene omnia haec accusatori obiciuntur a Cic.
18 p. Balb.: falsa § 20, 21, 27. inutilis 22, 23. iniuriosa 24. — 6. quaeritur in translationibus. concinnius esset, quod Schütz reposuit: ‘in tr. quaeretur.’ at videtur ipsius scriptoris lubitu mutatus ordo esse. primum autem errore librariorum huc translatum est, ubi non sequente ‘deinde’ stare nequit. 7. habeat. vulgo additur ex aliquot codd. ‘quem non oporteat.’ adiecere ea, qui quaestionem non intellegerent, quaeritur enim, num quis omnino actionem habeat, num cui agere liceat. cf. Cic. Caec. 32. ‘quaero sitne aliqua huius rei actio an nulla?’ adde ib. 37. Ernesti hic male coniecit ‘num alius eius rei actionem — habeat’ et Schütz prava ratione hanc coniecturam reiecit, quod ‘aliquis’ sit = alius quis:

quasi qui accusantur, plerumque magis de mutando accusatore cogitent quam de plane repudianda accusatione. locum huc pertinentem iam supra ad 20, 6 laudavimus ex Hermog. π. στασ. 16, 3. in scholiis Syriani ad h. l. IV, 278, 1 scribe παραγράφεται δὲ ἡ μετάληψις, in Marcellini 279, 12 ἐμπίπτει — καὶ δεύτερον ζήτημα παρὰ τὸ τῆς παραγραφῆς. — num alio tempore, num alia lege, num alio quaerente. ex interpolatione volgari recensioni adhuc adhaerente legebatur 'num alio modo t. loco — quaerente aut agente': sic 'tempore' explicatur per 'loco', 'lege' per 'modo' 'aut agente' vero non solum inutile, set etiam ineptum est, 'alio enim agente' h. e. ea condition, ut alius agat, qui potest aliquis habere actionem? recte Halm. optumorum codd. lectionem defendit: Ernesto et Schützio loci sententia obscura fuit. 'alio' tempore tangit Longin. IX, 552; 'alia lege' ut agatur postulat Hyperides p. Euxenipp. docens Polyeucti accusationem non cadere in νόμον εἰσαγγελτικόν, qua re iudices admonet, ne prius attendant singulas accusationis partes (col. 20), πρὶν αὐτὸ τὸ κεφάλαιον τοῦ ἀγῶνος καὶ τὴν ἀντιγραφὴν ἐξετάσωσιν, εἴ ἐστιν ἐκ τῶν νόμων ἢ μή. idem magni interesse ait (col. 21) ὅπως — αἱ εἰσαγγελίαι καὶ αἱ ἄλλαι κρίσεις κατὰ τοὺς νόμους εἰσίασιν εἰς τὸ δικαστήριον· διὰ τοῦτο γὰρ ὑμεῖς ὑπὲρ ἁπάντων τῶν ἀδικημάτων, ὅσα ἐστὶν ἐν τῇ πόλει, νόμους ἔθεσθε χωρὶς περὶ ἑκάστου αὐτῶν· sequuntur exempla diversorum criminum a diversis iudiciis tractandorum. hinc explica 'alio quaerente.' 9. de quibus sc. partibus iuris. 11. in causa ratiocinali. Ernestus ratiocinali in compluribus codd. atque edd. inventum, quia id verbum nuspiam reperiatur et Quint. III, 5, 4 habeat 'causa rationalis' et rationalis idem significare possit, recipere non est ausus. at rationales status, qui legalibus opponuntur a Quint. III, 6, 55 (locus enim alter ab Ernesto citatus ab ipsa re alienus est) minume idem sunt atque 'συλλογισμός. quem accipimus ratiocinativum vel collectivum' ait Quint. III, 6, 46. — 11. in optumis libris legitur 'etquid (pro 'ecquid') in rebus maioribus aut minoribus aut dissimilibus similiter scriptum — sit. (debueram annotare 'in rebus' non 'de rebus' omnes libros mstos et editos habere). 'dissimilibus' ortum manifesto ex 'de similibus' sic expulsa vera praepositione falsa 'in' est inducta, inepte repetitum 'aut' denique ordo turbatus, requiritur enim hic: 'de rebus similibus maioribus aut minoribus'. ceterum 'maioribus aut minoribus aut' notavi, quia in ratiocinatione unice spectatur similitudo, maiores an minores fuerint causae, quae comparantur, parum refert, cf. Apsin. IX. 513. γίνεται δὲ καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίου ἡ συλλογιστικῶς λύσις. 13. nollem me fugisset vitium lectionis 'ea res similis — dissimilis', continuandus enim erat numerus pluralis post 'de similibus'. — exemplum in breve contractae ratiocinationis invenitur ap. Cic. de prov. cons. 12: 'an si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non appellatur, hostis, (Gabinium dicit) huic ferri auxilium non oportet?' 14. deinde utrum consulto — similitudinem. plane huc facit Cic. Part. 135 'si quid consulto non scribimus, hac omissione cupimus efficere aut certe

concedere ut fiat, quod si cavissemus, non posset fieri. contraria ratio est, si non cavemus, quia disertam cautionem putamus inutilem’ adde Senec. Contr. IV, 27 (297 ed. Bip.) ‘multa quamvis non excipiantur, intelleguntur — quaedam vero tam manifesta sunt, ut nullam cautionem desiderent.’ tali omissione Cic. abutitur p. Caec. 93. locum minume intellexit Ernesti, quom contendit alterum membrum ‘quod satis cautum’ etc. non opponi priori, set rationem reddere, qua re noluerit diserte cavere legislator in lege; ideo ‘an’ (45, 1) sustulit, codicum, quos solos noverat, fide deceptus: secuti sunt Orelli et Klotz.

45, 1. revortamur offendit, quom antea nondum inceperit de iuridiciali agere, malis vortemur s. convortemur. 9. ex quibus parti-
19 bus ius constet. aput Cic. Inv. II, 67 enumerantur iura naturae consuetudinis, praeterea pactum, par, iudicatum, deinde additur: ‘iura legituma ex legibus cognosci oportebit’. simplex divisio est Top. 31 ‘in legem morem aequitatem’ subtilior Part. 129. et longior, quam quae huc transferri possit. cf. etiam p. Balb. 2. 17; Verr. II, 3, 205. — 13. lege ius. sic Cic. p. Fl. 27, 33, 49, 55, 59, 67, 74, 78, 80 lege aut consuetudine facta esse, quae reo obiciantur, docet. contra legem venisse atque adeo dici venisse bona S. Roscii demonstrat p. S. Rosc. 125 sqq. alia exempla h. gen. vide Isaei II, X, Demosth. XXII, 5—31, XXIII, 22—89. — 14. consuetudine ius illustratur a Cic. Part. l. c. et Inv. II, 67: ‘cons. ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas conprobarit — quo in genere — eorum multo maxuma pars, quae praetores edicere consuerunt’. 17. itaque Lys. XIV, 4 ait: *εἰκὸς — πρῶτον περὶ τούτων νυνὶ δικάζοντας μὴ μόνον δικαστὰς ἀλλὰ καὶ νομοθέτας αὐτοὺς γενέσθαι εὖ εἰδότας, ὅτι ὅπως ἂν νυνὶ περὶ αὐτῶν γνῶτε, οὕτω καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἡ πόλις αὐτοῖς χρήσεται.* iudicato utitur etiam Demosth. XVIII, 224, contra XXVII, 95 iudicatorum non semper rationem habendam esse dicit. adde Anaxim. 8, 3, ubi appellatur *τὸ κεκριμένον ὑπό τινων ἐνδόξων δίκαιον*, Quint. V, 2, 2.

46, 1. et fit ut de eadem re saepe alius aliud decreverit aut iudicaverit. aperte his verbis iteratur, quod ante legitur ‘ut aliud alio — placitum sit’ nec causa apparet, cur idem bis, nulla re nova adiecta dicatur. nam per se liquet, de eadem tantum re agi ita posse, ut magistratuum iudicia discrepent; igitur ne hoc quidem addito opus fuit. 3. quod cum herede mandati ageretur. cf. Dig. XVII, 1, 27 et III, 26, 10: ‘morte eius, cui mandatum est, si is integro adhuc mandato decesserit, solvitur mandatum et ob id heres eius licet exsecutus fuerit mandatum, non habet mandati actionem — si adhuc integro mandato mors alterius interveniat, si id est, vel eius, qui mandaverit, vel illius, qui mandatum susceperit, solvitur mandatum: set utilitatis causa receptum est, si mortuo eo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse exsecutus fueris mandatum, posse te agere mandati actione, alioquin iusta et probabilis ignorantia tibi damnum afferet’. reddidit =
20 dedit. 8. iudicem cum iudice cf. Cic. p. Balb. 61. ‘videte ne utilius vobis et honestius sit, illis ducibus (Pompeio Sulla Crasso Mario)

errare, quam hoc magistro erudiri. 9. tempus cum tempore. Cic. p. Cluent. 91. 'quid? conferam Sullamne cum Iunio? — an vero tempus cum tempore? tempus hoc tranquillum atque pacatum: illud omnibus invidiae tempestatibus concitatum'. 13. vel novum ius. praeter iuris partes iam indicatas, non ad communem veritatem, set ad peculiarem hominum conditionem ac dignitatem spectans. 15. noli cum Schützio transponere 'sunt pacta' propter id quod statim legitur 'sunt item pacta' nam proprie ea tantum pacta habentur, quae lege observantur. 16. pactum, de quo in hac particula XII tab. agitur, ad iudicium spectat, quod adire inter se constituunt litigantes. constat autem reos utrumque, petitorem atque eum unde petitur, passim dici. hanc igitur appellationem hic, ubi 'rem' aptum sensum praebere non videbatur, proposui. paciscuntur antiquiore forma 'pagunt', etsi oblata a Prisciano 894. 23, commutare veritus sum; consensio enim optumorum codd. 1, 2 et comparatio loci I, 23. 'si furiosus existet' monstrat, scriptorem non tam prisca et obsoleta quam perspicua et aperta voluisse ponere.

47, 1. coiciunto proponenti Gellius auctor fuit, aput quem XVII, 2 verbis a Cornif. allatis complementum accedit. sic autem illic legitur: 'ante meridiem causam coniciunto, quom perorant ambo praesentes, post meridiem praesenti litem addicito, sol occasus suprema tempestas esto'. coicere de exponenda causa aput iudicem iuris studiosis notum, cf. Gell. V. 10: 'Protagoras petere instituit ex pacto mercedem: litem cum Euathlo contestatur, et quom ad iudices coiciendae consistendaeque ('consciendaeque' corr. Lachm. ad Lucr. p. 349) causae gratia venissent, tum Protagoras sic exorsus est' etc. haec duo pactorum genera aput Cic. Inv. II, 68 in unum confunduntur. 2. quae iure praestare dicuntur. praestare hic idem atque 'valere' est. 5. deest initium huius capitis de genere assumptivo iuridicialis constitutionis, definiri enim oportebat et in partes suas describi secundum consuetudinem scriptoris ubique praeterea servatam. iam Schütz hoc vidit, qui audacius nec perfecte lacunam explevit inculcando verba 'in assumtiva'. ex 21
conparatione. mutatur ordo supra I, 24 institutus, ubi extremo loco est conparatio; nec deest causa, cur etiam primum locum capiat. inspice modo Hermog. π. στασ. 12. 20: *ἤτοι — εἰς ἑαυτὸν ἀναδέχεται πᾶν ὁ φεύγων τὸ γεγονὸς ἢ εἴς τι τῶν ἔξωθεν αὐτὸ μεθίστησι· κἂν μὲν εἰς ἑαυτὸν ἀναδέχηται, ποιεῖ ἀντίστασιν, — ἂν δὲ εἴς τι τῶν ἔξωθεν, ἤτοι εἰς αὐτὸν τὸν παθόντα ἢ εἰς ἄλλο τι· κἂν μὲν εἰς τὸν παθόντα, ποιεὶ ἀντέγκλημα, — ἂν δὲ εἰς ἕτερόν τι μεθιστᾷ, πάλιν διαιρετέον· ἢ γὰρ εἰς ὑπεύθυνόν τι δυνάμενον γενέσθαι πρᾶγμα ἢ πρόσωπον μεθίστησι τὸ ἔγκλημα — καὶ ποιεὶ μετάστασιν, ἢ εἰς οὐ δυνάμενον ὑπεύθυνον γενέσθαι, ἀνεύθυνον δὲ πάντῃ, καὶ πεποίηκε συγγνώμην:* quod Hermogeni est *ἀντίστασις*, Aristoteli Rh. III, 15, 3 *ἀντικαταλλάττεσθαι* est, *εἰ βλαβερόν, ἀλλὰ καλὸν κτέ.* Apsini IX. 512 *λύσις ἀπὸ τοῦ ἐναντίου καθ' ὑπέρθεσιν* (sc. *ὑπόθεσιν*). cf. etiam Senec. Contr. III, 19 (230 ed. Bip.) V, 33 (351 e. B.) exemplum comparationis per subiectionem prolatae extat Hyperidis ap. Rutil. I, 18. 8. utrum ho-

nestius reposuimus ex Lambini atque adeo Aurati coniectura, in codd. est 'utrum venustius' de quo Orelli in altera ed. 'suspectum mihi aliquando fuerat hoc vocabulum: nunc comparo cod. 15, 5. de test. man. 7, 2. 'quod privilegium damus ut aliquid venustum eveniat, id est concinnum gratum'. nil tamen huc facit venustas. quod autem in ed. pr. Orelli coniecit 'verius' in assumptivam convertit, quod solum in absolutam convenit. aptissime contra honestum cum utili componitur ut infra III, 3, vide etiam Cic. Inv. II, 75 et 107 'si demonstrabitur honestius utilius magis necessarium fuisse id quod vitarit reus quam illud quod fecerit'. comparatio talis fit ap. Demosth. XX, 20 sqq. 28. — 10. utilius statuendi propter repetitionem displicuit librario cod. φ, sustulit utilius nescio quis editor post Cratandr. 1528, in qua adhuc legitur, tacite et hunc omnes editores temere secuti sunt. constructio est ut III, 4: 'si dicemus in omnibus aequabile ius statui convenire'. 11. coniectura breviter dictum pro 'suspitio ex coniecturali constitutione,' quae est deteriorum librorum lectio. 12. non ratione factum esse. cf. Cic. Inv. II, 74. Hermog. hunc locum tangit π. στασ. 15, 19, eiusque interpretes Marcellinus cum Sopatro 677. 'ratione' sic adverbialiter usurpatum vide p. Quint. 28. — 13. concinnitas postulat, ut 'factum esse' et 'gestum'; 'ratione' et 'dolo malo' inter se respondeant, molestum igitur 'negotium' notandum erat. in eo h. e. 'quod melius deteriori anteponeretur'. accusator si concedere cogatur bene rem gestam esse, consilium saltem rei in suspitionem vocare potest, idque fiet aliqua probabili causa, de qua ante dictum est. scriptor revocat lectorem ad II, 4, ubi probabile dividitur in causam et vitam. probabilis illa causa in accusatione, non in defensione profertur, defensor enim eam aut attenuabit aut plane tollet. pravus igitur volgaris ordo verborum: 'dolo malo negotium gestum. deinde quaeretur — veniretur. ab def. c. refelletur arg. coniect. aliqua probabili causa d. q. a. d. est'. praeterea quaestio 'potueritne vitari, ne — veniretur' ab hoc loco aliena, ubi reus dicitur pro lubitu quiddam fecisse, non quod eum oportuerit facere: at hic indicatur eum in necessitudinem incidisse aut sine culpa aut per imprudentiam. accedit, quod ex volgari ordine ista locum non habent inter accusatoris et defensoris argumentationem. eo autem ordine, quo leguntur in optimis codd., male commemorantur post defensoris orationem, quae ex adversarii mente dicta sunt. 14. ab defensore contra refelletur argumentatio coniecturalis. ut est apud Aristotelem Rhet. III, 15, 3 ἀντικαταλλάττεσθαι τὸ οὗ ἕνεκα, ὅτι οὐ βλάψαι ἐβούλετο, ἀλλὰ τόδε καὶ οὐ τοῦτο, ὃ διεβάλλετο, ποιῆσαι, συνέβη δὲ βλαβῆναι.

22 48, 6. quid facturi essent. idem est ap. Cic. Inv. II, 78, Andocid. I, 57, Cato ap. Quint. IX, 2, 21: 'cedo si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?' 8. translatio criminis a Cic. Inv. II, 78 tractatur; cur is relationem cr. appellet, iam supra explicavimus. 10. verene in alium crimen transferatur. Cic. Inv. II, 79: 'oportebit — si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transferetur, defendere'. 11. aequene magnum — dicatur.

Cic. Inv. II, 80: ‘levius esse illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipse susceperit’.

49, 1. oportueritne iudicium ante fieri h. e. num revera ille in leges peccaverit, in quem reus culpam transfert. quom factum — non venerit. Cic. Inv. II, 80 ‘negare debebit audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipse, qui conferat, iudicium fieri noluerit, et id, quod iudicatum non sit, pro infecto haberi oportere’.
7. quod eos idem fecisse dicant. h. e. item supplicium sumpsisse de indemnato, ut Orestes. quod Schütz in his verbis commodum sensum non invenit (qua re eiecit), sane mireris: sententia est vel tragicis frequentata, e. g. Soph. El. 580 ὅρα τιθεῖσα τόνδε τὸν νόμον βροτοῖς κτλ. et Eur. El. 1093 εἰ δ᾽ ἀμείψεται φόνον δικάζων φόνος, ἀποκτενῶ σ᾽ ἐγώ. 8. quid si ipse accusator. haec pluribus persequitur Cic. Inv. II, 81. — 9. peccati atrocitatem prof. Cic. Inv. II, 83. ‘defensor — ipsam relationem conprobabit — augendo eius, in quem referet crimen, culpam et audaciam et quam maxume per indignationem, si res feret, iuncta conquestione, ante oculos ponendo’. itaque Hermogen. π. στασ. 45. 12: ἐν πάσῃ γὰρ ἀντεγκληματικῇ ἀντιθέσει τοπικὴ γίνεται καταδρομή (sic malim legere ex Monac. 317) adde Aps. IX, 482. —
11. aut non potuisse — venire. sententia illustratur a Cic. Inv. II, 81, ac magis etiam in or. p. Mil. 7—11, unde illud praeclare dictum excerpam: ‘silent — leges inter arma, nec se expectari iubent, quom ei, qui expectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda’. iterum hîc Sophocles laudandus est Oed. Col. 992 sqq. εἴ τίς σε τὸν δίκαιον — τὸν αἴτιον τίνοι᾽ ἂν, οὐδὲ τοὔνδικον περιβλέποις. etiam Antiph. IV, β (ubi § 5 legerim εἰ μὴ τὰ αὐτὰ καὶ ἐπεβούλευσα καὶ ἐπεβουλεύθην) et δ, 7. — 12. de concessione agit Cic. Inv. II, 94, sqq. et 23
Aristot. Rhet. I, 10, 7: πάντες δὴ πράττουσι πάντα τὰ μὲν οὐ δι᾽ αὐτούς, τὰ δὲ δι᾽ αὐτούς· τῶν μὲν οὖν μὴ δι᾽ αὐτοὺς τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι, τὰ δὲ ἐξ ἀνάγκης, τῶν δ᾽ ἐξ ἀνάγκης τὰ μὲν βίᾳ, τὰ δὲ φύσει. idem Rhet. III, 15, 3 ἄλλος τρόπος (defensionis adversus calumniam) ὡς ἔστιν ἁμάρτημα ἢ ἀτύχημα ἢ ἀναγκαῖον. huc rettuleris Antiph. III. — 16. de his — revortendum videtur. haec a Schützio merito damnata notavimus: cur enim ad id quod suo loco tractaturus est, sibi revertendum fore dicat? non sensit idem, verbis (18) num culpa veniendi necessitudinem fecerit nil nisi inutiliter et inscite iterari, quae antea leguntur (17) num culpa ventum sit in necessitudinem, inscite inquam, quom dici saltem debuerit: ‘num culpa necessitudinem fecerit veniendi in necessitudinem’. frustra VV. DD. in corrigendo glossemate operam collocaverunt; ut qui ‘num in culpam veniendi necessitudo fuerit’ proposuerunt, de culpa enim, in quam quis venerit, hîc non quaeritur. vide de h. l. etiam Madvig. Opusc. II, 232.

50, 3. expertusne sit, quid contra facere — posset. Cic. Inv. II, 99: ‘postea demonstrare (oportebit) potuisse vitari et hac ratione provideri potuisse, si hoc aut illud fecisset, aut ne sic fecisset (sc. ‘faceret’) praecaveri’. universe hoc praeceptum ab Anaximene tangitur, 23, 5.

— 5. id consulto factum esse. isdem fere verbis haec Cic. profert Inv. II, 99. at Rabirium Postumum defendens 'nolite igitur' ait 'fortunam convortere in culpam — nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari' (29). 7. si maxume necessitudo — putari. sic Cic. Inv. II, 100 'si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium inplicationem (fo: amplificationem) redarguentem demonstrare quidvis perpeti, mori denique satius fuisse, quam eius modi necessitudini optemperare'. eadem est sententia Lysiae XIII, 52; Latronis aput Senec. Contr. III, 17 (ed. Bip. 220); ipse Cic. necessitudinis excusatione utitur p. Lig. 5. 'tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit, quod si est criminosum, necessitatis crimen est,
24 non voluntatis'. 8. inprudentia significatur ab Anaximene 79, 10 et Isocrate V, 47, qui commemorat *φιλοσοφίαν — ἣ — τῶν συμφορῶν τάς τε δι' ἀμαθίαν καὶ τὰς ἐξ ἀνάγκης γιγνομένας διεῖλε.* adde Thucydid. I, 32, Demosth. XIX, 98 sqq. Theo 238, 22 utrum potuerit nescire. aliquanto accuratius hoc et magis ex persona accusatoris, quam quod ex codd. non optumis volgo legitur 'n. p. scire.' compara Lysiam XXXI, 11. *καθέστηκε δέ τι ἔθος δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων μάλιστα ὀργίζεσθαι τοῖς μάλιστα δυναμένοις μὴ ἀδικεῖν.* 11. qui se propter vinum — contaminabit. mitior Cornificio est Anaxim. qui talem defensionem non excludit 30, 9; etiam Lysias ea utentem reum inducit III, 4. commemorat Demosth. XXI, 38; media quadam via ingreditur Cic. Top. 64 'cadunt etiam in ignorationem atque in inprudentiam perturbationes animi, quae quamquam sunt voluntariae — obiurgatione enim et admonitione deiciuntur — tamen habent tantos motus, ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum aut certe ignorata videantur'. 16. satisne in inpr. praesidi debeat esse. ut Anaxim. 23, 6 pronuntiat: *περιαιρετέον τὴν συγγνώμην λέγοντα — ὡς — δεῖ διὰ τὰς ἀτυχίας καὶ τὰς ἁμαρτίας ζημιωθῆναι μᾶλλον αὐτὸν ἢ τὸν μηδέτερον τούτων ποιήσαντα.* contra 15, 11—17, ubi *αἰτήματα* reorum enumerat, hoc quoque profert *τὸ τοῖς ἀτυχήμασι συγγνώμην ἔχειν.*

51, 2. purgationes optumorum librorum lectio facile eo ducebat, ut interpretamentum agnosceremus pervarie in codd. conformatum; nimirum opus videbatur circuitione esse: hae partes purgationis s. hae tres partes purg. eius purgationum consensus meminit Cic. II, 99. etiam ampliorem esse cognationem monet Hermog. *π. στασ.* 45, 14 cum interpr.
25 IV, 673 sqq. — 5. quom se peccasse confiteatur. cf. Cic. Inv. II, 101, ubi legendum videtur 'loci autem communes accusatoris in confessionem et quanta potestas peccandi relinquatur' etc. exemplum dabit Demosth. XXI, 211. — voluntatem in omnibus spectari convenire pluribus Cic. persequitur Inv. II, 101. — 8. de deprecatione eadem fere sunt apud Cic. Inv. II, 104 sqq. Quint. VII, 4, 18. Senec. Controv. IV, 24 (271 ed. Bip.) exemplum celeberrimum suppeditat Cic. or. p. Lig. tota. 11. si plura aut maiora officia quam maleficia vide Cic. Inv. II, 106; quodam modo verba Anaxim. 24, 2 huc pertinent;

per *εἰρωνείαν* Dinarch. II, 8 hoc loco utitur. 12. si qua virtus aut nobilitas erit in eo qui supplicabit. eadem a Lysia coniunguntur XXX, 1. *ἤδη — τινὲς εἰς κρίσιν καταστάντες ἀδικεῖν μὲν ἔδοξαν, ἀποφαίνοντες δὲ τὰς τῶν προγόνων ἀρετὰς καὶ τὰς σφετέρας αὐτῶν εὐεργεσίας συγγνώμης ἔτυχον παρ' ὑμῶν.* quae Cic. Inv. II, 107 de nobilitate commemoranda affert, nescio an sic recte mutaverim: 'si facultas erit, se aut consanguineum magnis ac principibus viris aut iam a maioribus in primis amicum esse, et amplitudinem suae voluntatis, nobilitatem generis eorum, qui se salvom velint, cetera ea, quae personis ad honestatem et amplitudinem sunt adtributa, cum conquestione sine adrogantia in se esse demonstrabit'. 13. si qua spes erit usui futurum. cf. Cic. Inv. II, 106. sententiam tribuit defensori Verris, Hortensio Verr. II, 5, 2 ipse usurpat p. Font. 32 isdem paene verbis. accedat iterum Lysias XIV, 2, 43 et Dinarch. II, 3. Agis rex Spartanorum reus *τῆς ἐξ Ἄργους ἀποχωρήσεως ἔφη — ἔργῳ καλῷ ἀπολύσασθαι* (sc. *ἀπολύσεσθαι*) *τὴν διαβολήν,* ut narrat Marcellinus s. Minucianus in schol. ad Hermog. IV, 250. — 16. si ea quae peccavit — recto studio conmotus fecit. Cic. Inv. II, 107 iubet reum 'ostendere non odio neque crudelitate fecisse se quod fecerit, set aut stultitia aut inpulsu alicuius aut aliqua honesta aut probabili causa'. addidi 'se' ex Victorin. et aliquot codd. 17. si tali de causa aliis quoque ignotum est. Cicero l. c. ceteros proferri vult, quibus maiora delicta concessa sint. Anaxim. 80, 6 praecipit: *ἀπόφαινε καὶ τὸν ἐναντίον, εἴ τι ἐξήμαρτεν, συγγνώμης τυχεῖν ἀξιώσαντα.* exemplorum magnus numerus, unde Cic. Verr. II, 2, 101; 3, 217 laudasse sufficiat.

52, 1. loci communes iidem fere sunt atque commiserationis II, 26
50. 5. ex contrario utetur. haec quoque pars a Cic. Inv. II, 108 pluribus demonstratur. adde Aristot. Rhet. II, 23, 24. Hermogen. *π. ἰδ.* 239, 16. eius generis est oratio Thebanorum aput Thucydid. III, 67 sqq. adversus futuram deprecationem agunt Lysias XIV, 1, 24, Demosth. XIX, 310, XXI, 99, 186 sqq. Dinarch. I, 108 sqq. Cic. Verr. II, 5, 131 sqq. — 7. in primo libro, cf. I, 24. — 8. vel ad senatum vel ad consilium. Cic. Inv. II, 105 'hoc genus — quia et pars haec ipsa inducenda non numquam est et in senatu aut in consilio saepe omni in genere tractanda, in id quoque praecepta damus' Victorinus 155, ed. Or. in suo exemplari legerit oportet 'aut in concilio', explicat enim hoc falso per verba 'apud populum'. 9. Cic. Inv. II, 86—94 non hanc solam, qua Cornif. utitur, divisionem causae in rem et hominem collatae profert, set addit remotionem criminis in rem bipertito fieri, ut vel causa, vel res ipsa removeatur. 12. potueritne tantum. exemplum huius quaestionis aput Cic. est l. c. 92. — 14. si maxume ita sit h. e. ut tantum potuerit. tum, secundum Cic. l. c. 88 accusator 'dicet, suo quemque officio consulere oportere, nec, si ille peccasset, hunc oportuisse peccare, deinde, si ille deliquerit, separatim illum, sicut hunc, accusari oportere'. 17. edisseretur h. l. = exquiretur (cf. I, 27), quod verbum fortasse ipse scriptor hic posuit. in rem. difficilis distinctio huius

in rem remotionis a concessione, quam expetit is, qui causam in necessitudinem et fortunam confert, est tamen aliquid discriminis: hîc *ὑπεύθυνα* culpam sustinent, illic *ἀνεύθυνα.* apte docet Marcellinus IV, 248, 2: *λέγομεν οὖν ὅτι ἐστὶ καὶ πρᾶγμα ὑπεύθυνον οἷον νόμος· πρᾶγμα γὰρ ὁ νόμος, ὅς ὑπεύθυνον δύναται εἶναι κτἑ.* potest enim ex aliqua parte mutari obrogatione vel derogatione aut plane tolli. defensoris ratio h. l. non indicatur, fortasse quia facile intellegitur; nisi quid excidit. exemplum pete a Cic. p. Rabirio p. r. 20.

27 53, 1. nam fere — adiumento. sententia saepius est a Cicerone prolata, ut de or. II, 120, 176. Brut. 110. — 2. expedire usurpatum ut II, 41. scriptor non postulat lucidam dispositionem, nec verbis expedite pronuntiare elegantem elocutionem significat, set id tantum, ut excogitata possint ab auditoribus recte et clare intellegi. quod in libris deterioribus legitur ‘inventum expolire’ profectum esse videtur ex Cic. Inv. I, 74 ‘argumentatio vocatur — inventi artificiosa expolitio’. illud ‘expedite pronuntiare’ est idem, ob quod a Cic. Br. 237 C. Censorinus laudatur ‘quod proposuerat explicans ‘expedite’. 5. in isdem locis. cave hos locos cum communibus confundas, proprii enim dicuntur uniuscuiusque causae. sic etiam aput Cic. Inv. II, 150 ‘locus autem hoc in genere argumentandi hos — esse arbitramur legendum, non, ut in edd. novissimis: ‘locos autem communes’. quippe in hoc ipso capite, quod est de ratiocinatione, infra demum, § 152 propriis locis communes subiunguntur. 9. argumentatio a Cicerone in syllogismum cogitur Inv. I, 57 sqq. eum solum Quint. sequitur V, 14. dividitur autem argumentatio ab illo in propositionem, propositionis approbationem, assumptionem, assumptionis approbationem, complexionem. mediae igitur partes a Corni-
28 ficianis diversae sunt. 10. ergo apsolutissuma. particula, quom infra § 30 recte praeposita sit eidem sententiae, hîc, ubi nondum quidquam de divisione argumentationis significatum est, delenda videtur.

54, 2. causam ostendemus Ulixi fuisse. vide notata ad I, 18. — 3. inimicum — metuebat. simile est, quo Cic. p. Tull. 55
29 utitur; adde p. Mil. 32, 36, 51. — 11. omnes enim — minuma peccata cum causa suscipiunt. isdem paene verbis Cic. p. S. Rosc. 73 ‘aput homines — prudentissumos agitur, qui intellegunt neminem ne minumum quidem maleficium sine causa admittere’ adde ib. 84. — 15. si multi leve conpendium fraude maxuma conmutarunt. ita Cic. p. Mil. 32 ‘boni nullo emolumento inpelluntur in fraudem, inprobi saepe parvo’. 17. fortissumo timidus, integerrumo nocens, iniuria lacessito conscius peccati sui, ira exsuscitato insidiosus respondet; solum inimicitiarum persequentissumo qui opponatur deest; ipsius scriptoris an librariorum culpa, non audemus pronuntiare.

55, 1. cui tandem hoc mirum videbitur? gravis huius interrogationis vis deminuitur praefixa particula ‘si’ verbis ‘timidus nocens’, quam tamen intulit Klotz ex paucis mediocris bonitatis codicibus. recte idem tenuit ‘inimicum’ incolumem, pro eo quod maluerunt reponere Gronovius, Ernesti, Schütz, Orelli ‘inimicus incolumem’ quae lectio plus uno incom-

modo premitur. 2. a bestiis comparationem, ceterum dissimilem, ducit
Lycurg. 131 sq. — 3. alterae dedi duce Halmio, quia cod. *h* offert
altera’ calidius quidem, quom in eo libro a et i saepe permutentur et
anomala forma alibi aput hunc scriptorum inveniatur, III, 8. — 10. acer- 30
ruma ratio hic est quod supra 54, 17 ‘acerruma formido’. 11. du-
bium eiecto sententia restituetur, ut dicat accusator infitiari iam Ulixem
non posse fuisse causam, quae ad maleficium pellicere posset, set inde
nondum consequitur, ut hoc confiteatur ipse Ulixes. 14. est quom
conpl. supersedendum est. forma dicendi in multis codd. obscu-
rata confirmatur altero exemplo IV, 36 ‘est quom non est satius’. resti-
tuendam vidit etiam Halm. 19. in omni — est habenda. Schütz
hanc iure dixit ineptissumam esse glossatoris laciniam: nil enim iis ver-
bis proficitur, ac ne Latine quidem prolata sunt. at non magis probanda
erat eidem inutilissuma complexio ‘ergo amplissuma — quadripertita’.

56, 6. quae sint — docebit. nulla subiciuntur nugatoriorum exem- 31
pla, nec intellegitur, cur hic praecipue de utilitate exemplorum agat, quae
nusquam omisit. igitur haec non minus insiticia habebimus ‘quae sint —
non poteris’ quam quae sequuntur, quibus anticipatur sententia inferio-
rum verborum 14 ‘ut et ipsi — possimus’ iam a Schützio eandem ob
causam deleta. sublato demum utroque emblemate cohaerere manufes-
tum ‘duo genera sunt vitiosarum argumentationum — reprehensionis’ cum
‘quoniam igitur ostendimus perfectam et plenam argumentationem ex quin-
que partibus constare, in una quoque parte — quae vitia vitanda sint,
consideremus’. vitiosa argumentatio adversarii materia est confutationis,
quam ob rem haec tota pars a Cic. Inv. 1, 78 recte subiungitur reprehen-
sioni. 17. expositio. supra §. 28 propositionem appellavit. eadem 32
inconstantia deprehenditur aput Ciceronem Inv. I, 58: ‘aiunt primum con-
venire exponere summam argumentationis’ deinde 59 nonnulli codd. ‘quom
expositio sit hoc pacto adprobata’ plerique ‘propositio’, unus *t* pr. m. ex-
propositio, utramque lectionem coniungens; idem cadit in verba ‘unum in
locum quom conduxerit breviter propositionem et adsumptionem’ ibi enim
praestantissumi codd. ab Orellio et Halmio usurpatorum ‘ex propositione’ ha-
bent, praestantior *k* ‘expositionem’. deinde sane ‘propositio’ sola ponitur,
omissa altera appellatione. ad expositionem vitiosam cf. Cic. Inv. I, 79
sqq. ubi complura huc facientia tractantur. excerpamus haec: ‘argumen-
tatio reprehenditur, si — ex iis, quae sumpta sunt, non conceditur ali-
quod unum plurave — quom — id, quod credibile dicunt, negatur esse
eius modi — quod pro credibili sumptum erit, id infirmabitur — si quod
in quibusdam rebus aut hominibus accidit, id omnibus dicatur usu venire
— aut si id, quod raro fit, fieri omnino negatur, ut Curio pro Fulvio:
nemo potest uno aspectu neque praeteriens in amorem incidere’ (80).

57, 1. ait talem expositionem vel neglecta ratione visum iri vitiosam. 33
— 6. dictum Curionis esse ex Cic. discimus l. s. c. 8. nihil adfer-
tur h. e. nil dicit, qui hoc contendit, dummodo aliquando fieri — in-
tellegatur. vocabulo ‘aliquando’ adscripta gl. ‘raro’ peperit, ut videtur,
interpolationem ‘raro id fieri’ et haec varias lectiones ‘refert’ ‘differt’, qui-

bus nunc libenter caremus. raro enim fieri plane refragatur sententiae illi a Curione pronuntiatae, atque ineptissuma reddit sequentia 'dum modo — intellegatur'. quod locutionem attinet, cf. Cic. Sen. 17. 'nihil igitur adferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant'. 11. aliquam rem idoneam praeterimus. Cic. Inv. I, 84: 'enumeratio vitiosa intellegitur, si aut praeteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid adnumeratum, quod aut contra dici possit aut causa non sit, qua re non honeste possimus concedere'. hoc ultimum a Cornificio non commemoratur. 15. faciebat. temporis rationem ignorabant, qui 'fecerant' scripserunt in codicibus aut editionibus. cf. Cic. Cat. I, 13 'num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas?' accusationis similluma argumentatio est ap. Quint. V, 12, 5.

58, 6. ergo hoc quoque — reliquerimus. aliena ista esse iam Schütz vidit, qui 'grammatici cuiusdam clausulam' appellat: est index
34 marginalis, ut supra 55, 20, 56, 9 infra 60, 7. 9. quae constat ex falsa enumeratione. falsa autem enumeratio aut pauciora habet, quom plura sint, aut plura, quom pauciora sint. haec divisio in libris mstis et editis obscurata fuit lectionis vitiis et additis incommodissume verbis 'falsa enumeratio est' (14). 12. inreligio est in $c\varphi p^2 f'^2 t L, V \varrho^{124}$. servavimus, quom religio sic absolute positum vix possit superstitionem notare. nil affert Orelli adnotans ad ed. priorem: 'est hoc voc. Appuleianum v. van Vaassen Fasti p. 231'. inreligio quidem, at inreligiosus noverunt Liv. V, 4. Plin. Epp. IV, 1. inreligiose Tac. Ann. II, 50 neque in nomine offendemus, quocum conferri potest II, 7 inadparatio. propterea lectionem meliorum librorum $hp^1\pi, 2(a^1)$ 'religio' recipienda non fuit. 19. quae nimium longe repetitur. aput Cic. Inv. I, 79 tertium genus vitiosae argumentationis in eo ponitur: 'si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur'. eius formae recensentur § 89: 'si omnino totum falsum erit, si commune, si volgare, si leve, si remotum, si mala definitione (sic codd.), si controvorsum, si perspicuom, si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si advorsum'. remotum huc facit, de quo vide § 91, ubi ex fragmento Enniano duo primi vss. laudantur. 20. ex corruptelis primariorum codd. recte mihi visus sum concludere, Cornificium 'praeter cetera' non 'prae ceteris' dedisse. prope aberat a vera hac lectione Halm, quom adnotavit: 'qui volgatam 'quae prae ceteris' patienter tulerunt, non attendisse videntur veteres in tali sententia non 'prae ceteris' sed 'praeter ceteras' dicturos fuisse' at quae sunt istae ceterae? quam ipse commendat scripturam cod. *b* aliorumque 'mater atque materies' correctorem sapit.

59, 2. haec pariunt cf. Fleckeisen Mus. Rhen. nov. VII, 271 sqq. VIII, 221. — 7. utinam ne in nemore. prooemium Medeae Ennianae saepe a Cic. citatur, ut Top. 61, de Fat. 35, de N. D. III, 75, p. Cael. 18; eo autem, quo hic consilio solum Inv. I, 91, et a Quint. V, 10, 84. — 8. accedisset accepi a Fleckeiseno per Ribbeckium (praef. Fragm. trag. Lat. IX); comparat ille Plaut. Rud. 8 Poen. II, 38, etiam Enn. vs. 371. — trabes singularem hinc laudant Varro de L. L. VII, 33

Prisc. VII, 751. — 11, 12. hi duo vss. recte leguntur ap. Cic. Tusc. I, 45, ubi tamen verba 'Argo quia' et 'in ea' a plerisque editoribus Ciceroni tribuuntur; eos poterat Cornificii citatio decipere volgo ex corruptis libris exhibita. monuit iam Halm. — dilecti ex duobus codd. principibus Tusc. l. c. ductum etiam nonnulli nostrorum habent. 13. Colchos malim, cf. Plin. H. N. IX, 54: 'visum est tanti in extremam Italiam petere Brundisium ostreas'.

60, 2. versus nec priore loco, nec posteriore (6) abesse potest, hôc enim requiritur amoris commemoratio, in priore nil, quod posterior haberet, abicere scriptori licuit. Oudendorpius vel 'Medea' 'meram herae glossam' utrobique habuit, Euripideorum δέσποιν' ἐμὴ Μήδεια oblitus. 7. cf. not. ad 58, 6. — 10. vitiosa ratio est, qua ad expositionem — vanitatem. Cic. Inv. I, 94. 'advorsum est, quod ipsi causae aliqua ex parte officit, ut si — ratio alicuius rei reddetur falsa, hoc modo: pecunia bonum est propterea, quod ea maxume vitam beatam efficit, aut si infirma, ut Plautus: amicum castigare' etc. Cicero commodius quam Cornificius absolvit vanam rationem, deinde infirmam rationem particulam vitiosae argumentationis facit, non, ut hic, ea appellatione paene totum genus complectitur.

61, 4. amicum castigare Pl. Trin. I, 1, 1 sqq. 9. conmissa servavi, quom aput Pl. 'conmerita' sit, scriptoris enim lapsus corrigere nostrum non est. 10. ex eo quod ipse — ratiocinatur. utrumque scriptorem (Inv. I, 95) perperam de Plautino loco iudicare, quom 'nam' ibi ratiocinationi non inserviat, intellexit Schütz, Praef. ad Cic. Rhet. I, XIV sq. 16. per itemque redit ad infirmam rationem, atque ita loquitur hoc uno loco, alibi item invenitur. 18. fragmentum Pacuvii Welcker Trag. 1159 sqq. ex Duloreste petitum suspicatur, Ribbeck 104 ex Hermiona, rediens tamen ad alteram fabulam 283. Fleckeisen Philol. 1852, 383—8 optume de restituendis his vss. meruit. 20. saxoque instare in globoso legendum esse iam Salmasius Exerc. Plin. p. 873 invenit (fortasse inspecto codice Parisino [*p*], unde profectum suspicor, quod ibidem profert 'id quo saxum' et 'ergo id factum' (infra 63, 3); nuper Fleckeisen in idem incidit. imago quae describitur a poeta Fortunae in globo stantis, eadem est aput Cebetem, tab. p. 46 ed. Rel. ἡ Τύχη ὥσπερ γυνὴ τυφλὴ μαινομένη ἑστηκυῖα ἐπὶ λίθου τινὸς στρογγύλου καὶ κώφη. adde Ovid. Epp. ex Pont. IV, 3, 31.

62, 1. versum Ribbeck, nescio qua de causa, spurium censet: dedit autem non ex optumis libris 'quia quo id saxum'. 2. iterant Fl. usum verbi illustrat ex Plaut. Trin. 832. — quo sese adplicet h. e. nullam sequitur rationem. 6. Fl. bene probavit, requiri ἀντίθεσιν Fortunae et temeritatis, igitur non legi posse, quod Orelli opinabatur, 'Fortuna negant miseriam esse ullam', idque vel propterea, quod non solum misera, set etiam laeta ad Fortunam referebantur. versus certo restitui nequit, at quom 'set' et 'res regi' in praestantissumis libris non legatur, ex vestigiis codd. *hπe* conficere conatus sum, quod sensui et metro non adversaretur. ad sensum autem cf. Tac. Ann. VI, 21 'mihi haec et

talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate inmutabili an forte volvantur'. animi causa repeto Gruteri notam: lectio 'miseritatem aut humanitatem' sane contemnenda minume videtur, imo amplectenda venit; nam quid nobis cum versibus? alius quis ipsos constituat.

63, 1. id magis — edocet. sic Spengel hunc versum constituit, codd. nunc plane addicentibus (M. gel. Anz. 1846, 910). 3. haec 'naufragio nempe — optigit' a Ribbeckio abiecta sunt auctore G. Hermanno, adscribit enim 'scholiastae doctrinam non Pacuvii poesin praestare vidit Herm. Eph. Lips. 1828, n. 113 sq.' (nimirum illi vera versus forma nondum cognita fuit) 'sed Fleckeisen tamquam poetae verba proponit haec: naufragio nempe ergo id structum, haut forte fortuna obtigit, praeeunte 'haut forte fortuna' Oudendorpio et 'structum' Bezzenbergero, cum antea vulgaretur: naufragio res contigit, nempe ergo haud Fortuna obtigit, Salmasius vero Exerc. Plin. p. 873 scripsisset: naufragio nempe: ergo id factum forte, haud fortuna obtigit'. Oudendorpii correctione nos quoque usi sumus, ex $\pi^2\omega^2\lambda^{12}$ 'fluctu' sumpsimus, et iungendo 'factust mendicus modo naufragio' faciliorem structuram et magis naturalem reddidimus; sic enim 'nempe ergo', ut solet, exorditur enuntiatum. 7. factus esset respondet Pacuviano 'factust mendicus'. quod non animadvertebant, qui praeferebant lectionem codd. dl^4vo^3: fieret.

37 64, 2. utrumque vitiorum genus, hoc et quod 63, 7 notatur, tractat Cic. Inv. I, 95 eodem quoque utriusque exemplo usus. 9. ratio, quae vel alii expositioni potest accommodari, a Cicerone volgaris appellatur cf.
38 I, 90 et ipsum scriptorem I, 11 (11, 18). — 17. utuntur igitur studiosi. ex usu vocabuli 'studiosi' (quod hac significatione aput Ciceronem nondum invenitur) = scholastici conclusit nescio quis hunc librum recentiorem Cicerone esse. ac recte quidem Ernesti lexic. technol. Lat. rhet. s. v. ait: 'eloquentiae cultores, quos Cicero dicendi studiosos appellare solet, seriore aetate simpliciter et κατ' ἐξοχὴν studiosi dicti sunt — sic auct. Herenn. II, 24. dial. de oratt. c. 21'. at nos potius quam totum auctorem hoc additamentum seriori illi aetati tribuemus, quae etiam imperatorem I, 24 (23, 4) inseruit. 'studiose' otiosum hic et ineptum est. 19. iniuria aps te adficior. verba sunt Meropae ex Enniana Cresphonte petita, quibus illa compellat patrem Cypselum. secundum Hyginum fab. 184 Polyphontes fratre Cresphonte interfecto eius uxorem Meropam duxerat; ex hoc tam infausto coniugio pater filiam abducere parabat aput Ennium, ipsa ad speciem simulata fide repugnabat. videntur autem nomina maritorum mutata fuisse in Latina tragoedia, ut Cresphontes posterior fuerit. cf. quae Ribbeck 265 sqq. profert contra Welckeri coniecturam (Trag. 828), aput Ennium bis Polyphontem legendum esse. hac duplici reprehensione Ciceronem saepe usum invenias, cf. p. Cael. 50, 52, 58, p. Rab. Post. 35, p. Lig. 29. tractat hanc refellendi rationem pluribus Inv. I, 83, sq. alio adhibito exemplo, quod Cornif. affert, ubi inconstantiae vitium demonstrat, II, 42.

65, 5. nulla — incommodis immerito pro Ennianis haberi pro-

nuntiat Ribbeck p. 25, nescio qua causa: ipsum artis scriptorem versus hic substituisse multo minus credibile est, qui satis habuerit interrogationem 'nam si inprobum — nuptiis?' repetere, ut reprehensionem ex simplici parte factam exemplo demonstraret. verba 'duxi — cognitum' ex alia parte eius scenae ducta esse veri simile. 6. conlocavi reliquimus, etsi responsio eam concinnitatem postulat, ut idem verbum bis ponatur; inductum autem esse compositum suspicamur ut usitatius; ea confusio etiam Ter. Phorm. IV, 6, 32 obtinet, ubi iambicus septenarius octonario intempestive interpellatur, nisi legamus 'filiam locatam' cum Bentleio.
13. Schütz hunc indicem sine ulla νοθείας nota dimisit. 14. de repre- 39
hensione signi cf. Cic. Inv. I, 81.

66, 2. certa signa non habent. sic III, 12. quae similes sententias habebunt. 4. commune describitur, de quo vide Cic. Inv. I, 90 et plenius agentem Quint. V, 13, 29. is ex Cic. p. Oppio profert exemplum: 'at enim non veri simile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. quid? hoc veri simile est, tantum scelus Oppium esse conatum?' poterat etiam p. Sulla 48 uti 'si quod eum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo?' 7. verba sunt ex incerta fabula aput Ribb. 221, magis comici quam tragici similia. Ribbeck tamen non miraturum se ostendit 251, si quis haec pro Iasonis et Medeae in extrema fabula convitiis habuerit.
9. quod volgarem habet def. idem fere est, quod iam supra 37 in infirma ratione ultumo loco affertur, vid. Cic. Inv. I, 90 ibi laudatum.
11. inpune — diluentur. imago ea et aptior et rei iudiciali accommodatior quam altera verbo 'dilabentur' expressa, etsi optumorum librorum lectio est. sic Cic. p. S. Rosc. 42 'ego res tam levis qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum.' 13. antecedente 'quom quid pro eo sumitur' necessario mutandus erat indicativus 'constat' quem omnes codd. praeter ϱ^1 habent. vitium est, quod a Cic. Inv. I, 91 appellatur 'controvorsum' eodem addito exemplo.

67, 1. ad quam personam conversus Cr. haec pronuntiarit, non liquet, cf. Welcker Trag. 838 Ribbeck l. c. 266. — 6. utrumque vitium hoc et 40
quod statim infra (10) describitur, complectitur Cic. Inv. I, 90: 'leve est, quod aut post tempus dicitur (fo: quom — dicit) hoc modo: si in mentem venisset, non commisisset, aut perspicue turpem rem levi tegere volt defensione hoc modo: 'quom te expetebant,' etc. vides 'levi' plerorumque librorum lectionem esse ex Inv. illatam. 9. male legebatur 'haec ratio'; quod offert cod. Cort., probatur altero loco II, 24 'qui se propter vinum — fugisse rationem dicet.' 12. fragmentum incerti poetae ex qua tragoedia petitum sit, item obscurum; si, quae Bergkii, quem de ea re consului, sententia est, Thetis loquitur, Peleus Sophocleus magna ex parte a tragico Latino mutatus fuerit oportet. 14. aput Cic. Inv. I, 90 est in plerisque libris 'solus ut restituam paro', in optumis retinetur 'sola ut r. p.' adiectivum deest in l^{12} (Inv.) idque recte: membrorum enim paritas eo turbatur et versus ipse extrudit vocabulum, si accipias ab codice *e* 'rest, conparo' quod etiam in 'restitutio paro' (*hp*^{1}) delitescit,

subministrante μ alteram correctionem 'restituere.' 15. quod — accipi. quod Cic. Inv. I, 88 habet de ambiguo, minus cum his convenit, breviter res significatur a Quint. V, 13, 31.

41 68, 5. falsis aut volgaribus def. Cic. Inv. I, 91. 'mala definitio est, quom aut communia describit — aut falsum quiddam dicit.' 6. plenam iniuriae definitionem vide infra IV, 35. — 9. finiam poterat hic scribi, ut aput Quint. II, 15, 1; VI, 3, 109. — 12. pro argumento sumere, quod in disquisitione positum est, hodie appellamus petitionem principii, Ciceroni Inv. I, 95 'adversum est — si ratio alicuius rei redditur eadem'. 16. controversiam controversia dissolvere. cum aliis supra propositis hoc peccatum enumeratur a Quint. V, 13, 34 'illa magis vitiose dicuntur quam acute reprehenduntur: argumentum dubium pro necessario, controversum pro confesso, commune pluribus pro proprio, volgare, supervacuom, serius constitutum, contra fidem'.

42 69, 3. vitium simile, non idem tractatur a Cic. Inv. I, 89. — 6. frustra Eric. Memmius proposuit 'Apertae'. 8. potiri — Pergamum. sic iam Ribbeck auctore Fleckeisenio. exempla constructionis multa possint afferri. idem veram lectionem quem ego me profiteor esse, me est aequom ('aecum') frui praetulit plane falsae 'quae ego prof. esse mea' et minus ad versum sententiamque conformatae 'quem ego prof. esse me'. denique 11 'virtuti' scripsit nescio qua de causa; 12 sum non adiecit, set hoc ipsum vel aliud verbum ibi lectum fuisse adnotavit. ceterum fragm. hoc non Accii, quem Cornif. nusquam citat, set Pacuvii est. 13. ipsum sibi in sua oratione dissentire Cic. Inv. I, 93 'inconstans est, quod ab eodem de eadem re divorse dicitur'. inconstantiae vitium tangitur, opinor, a Terentio Phorm. V, 7, 55 sqq. 'quid vos, malum, ergo me sic ludificamini, inepti, vostra puerili sententia? nolo volo, volo nolo rursum' ubi poeta dedisse videtur 'puerili inconstantia'. aput Theonem 218, 2 legerim *ζητήσομεν — εἰ μάχεται κατὰ τὴν διήγησιν αὐτὸς ἑαυτῷ ὁ συγγραφεύς.* 15. editores tribuerunt poetae totum hunc versum, qui ex dimidia tantum parte servatus est, verba enim 'tum id exputando evolvere' ipsius scriptoris sunt. decepit illos 'nequeo id mecum' ex mala correctione codd. $bl^4\varrho^2$ ingestum pro 'tum id', ut continuari orationem per infinitivum 'evolvere' non animadverterent. etiam Ribbeck, cui hic locus divinatione parum veri simili ex Armorum iudicio sumptus esse videtur, eadem opinione tenetur scribens 'nequeo qua causa accusem hunc, exputando evolvere' quod primo obtutu aliquam speciem habet, at prave dixerit, se non posse exputando evolvere, pro simplici: se non posse videre s. intellegere.

70, 3. quid autem accuses. particula similiter usurpata ut in fragm. Enni ex Iph. (p. 34 ed. Ribb.) α. 'quis homo te exuperavit unquam gentium inpudentia? β. quis tete autem malitia?' non opus cum Ribb. scribere 'quid tandem eum' (praef. XVI.). 6. nunc ego — exordio. haec ducta suspicor ex Eur. Med. 475 *ἐκ τῶν δὲ πρώτων πρῶτον ἄρξομαι λέγειν*, ubi paulo ante *ἀναίδειαν* Medea obicit Iasoni 472; vix igitur dubium, quin haec quoque ad Ennianam fabulam non ubique

scilicet ad verbum ex Graeca expressam referenda sint. ceterum Cic. Inv.
I, 83 eadem verba affert, ut demonstret, quibus rationibus falsa complexio reprehendatur 'aut convorsione aut alterius partis infirmatione' cf. notata ad 64, 19. — 7. quod dicitur contra iudicis voluntatem 43
ap. Cic. Inv. I, 92 'aut offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit, ut si quis aput equites Romanos cupidos iudicandi Caepionis legem iudiciariam laudet, aut contrarium est, quod contra ea dicitur, quae ii, qui audiunt, fecerunt' etc. adde de or. II, 301. — 10. ita Cic. Inv. I, 94 'advorsum est — si plura pollicitus pauciora demonstrabit, aut, si quom totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur'. 12. ne de alia re dicatur. hoc genere complectitur formas infra exhibitas tota hac §. brevius ea transiguntur a Cic. Inv. I, 94 'advorsum est — si quis — non id, quod accusabitur, defendat, ut, si quis, quom ambitus accusabitur, manu se fortem esse defendat, aut ut Amphion aput Euripidem [item aput Pacuvium] qui vituperata musica sapientiam laudet'. hic inclusa om. voss. 1. 'aut ut — laudet' est in p^1, praeterea 'qui' deleverim. 16. Zethus cum Amphione. excidit aut supplendum est verbum e. g. 'peccant'. 17. de musica. vides Romanum hominem a studiis musicis separare philosophiam secus ac sapientissumis Graecorum placuit. cf. Welcker Trag. 818 sqq. 'sapientiae rationem' tuebatur Amphion, 'virtutis utilitatem' Zethus. quod autem hoc vitium attinet, Demostheni obicitur, quod aliena immisceat, ab Aeschine I, 166, 170, 174, Aeschini idem a Demosth. XIX, 201, 214 Androtioni XXII, 43, 46, Polyeucto ab Hyperide pr. Eux. col. 41.

71, 1. Cic. Part. 15 praecipit: 'firmamenta — aut diluenda aut opscuranda aut degressionibus obruenda' faseturque Antonius de or. II, 294 'si quae premat res vehementius, — adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam et pugnae similem fugam'. talis simulatae pugnae exempla praebent Cic. orationes non paucae, ut Quintiana, Caeciniana, Tulliana. 3. simillumum est, quod Lycophronem *μοιχείας* reum dicentem facit Hyperides col. 14. ter corona donatum a Lemniis: *ἃ δὴ τεκμήρια ὑμῖν ἔστιν εἰς τοῦτον τὸν ἀγῶνα, ὡς ψευδεῖς κατ' ἐμοῦ αἰτίαι εἰσίν· οὐ γὰρ οἷόν τε τὸν Ἀθήνησι πονηρὸν ἐν Λήμνῳ εἶναι χρηστόν.* Quint. IV, 2, 15 rationem talis defensionis explicat 'an reus ambitus male narrabit, quos parentes habuerit, quem ad modum ipse vixerit, quibus meritis fretus ad petitionem descenderit'? 6. idem observatur ab Isocrate XII, 112, et ab Aeschine III, 205: *οὐδὲν ἔχων δίκαιον εἰπεῖν ἑτέρων παρεμβολῇ πραγμάτων εἰς λήθην ὑμᾶς βούλεται τῆς κατηγορίας ἐμβαλεῖν.* de ea re h. de ea re, qua de agitur ut II, 5, 13, 48 (== 31, 8; 39, 5; 76, 9), itaque Ernesto delenti pronomen 'quod facile quivis recte fieri sentiat' Schütz et Orelli temere assenserunt. 7. hoc 44
vitium, ut complura alia 'advorso' subicitur a Cic. Inv. I, 94. — 11. Cic. Inv. I, 92: 'non concessum est, quom id quod augetur (noli 'arguitur' corrigere), in controvorsia est, ut si quis quom Ulixem accuset, in hoc maxume commoretur indignum esse ab homine ignavissumo virum fortissumum Aiacem necatum'. Aristot. Rhet. II, 24, 4 appellat hoc *τὸ δει-*

νώσει κατασκευάζειν — ὅταν μὴ δείξας, ὅτι ἐποίησεν, αὐξήσῃς τὸ πρᾶγμα. 13. corpore decoloratum multi codd. habent, defensum a Klotzio ex Cic. N. D. II, 139, ubi loquitur de ossibus 'quae subiecta corpori mirabilis commissuras habent' at is locus cum nostro comparari non potest. videtur potius ex II, 8 'livore decol.' revocandum esse, ut hinc illic scribendum 'tumore praeditum'.

45 72, 2. Cic. Inv. I, 94 eadem fere habet, cogitat autem hic uterque de argumento deliberativae causae: at ib. I, 30 praecipit: 'omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo, quae illius erunt, leviter attingendo, sua diligenter et enodate enarrando'. contraria tamen omnia adversarium adiuvant, aut, ut hic legitur, illius sunt; oppositum requiritur 'quae dicenda erunt' id quod habet cod. *k*. 4. in exemplo de frumenti largitione volgo pravissume commoda alterius rei cum incommodis alterius comparantur, ubi debebant utrinsque aut commoda aut incommoda comparari. correctione autem facta 'quae incommoda' manufestum iam erat moleste abundare alterum 'incommoda'. 7. velut depressa ut est ap. Cic. p. Cluent. 183: 'saepe multorum inprobitate depressa veritas emergit et innocentiae defensio interclusa respirat'. ne Graevii coniecturam 'et quae velit depressa' accipere cogeremur, egregius liber *π* fecit, in quo est 'et quam velut depressa', unde intelleximus 'et quam' ex 'aut plane' corruptum esse. 11. Albensibus an Vestinis Pinnensibus. egit de Pinnensibus (*Πιννῆται*) Diodor. Sic. libro XXXVII, ut liquet ex brevi fragm. X, 192 ed. Bip. § 20 ed. Didot.

73, 3. Cicero hanc formam vitiosae argumentationis non diserte describit; cohaeret autem cum mala definitione Inv. I, 91, a Cornif. supra II, 41 tractata. quam rem h. e. quo nomine res appellanda sit; scilicet penes usum 'arbitrium est et ius et norma loquendi' (Hor. A. P. 72). 5. P. Sulpicius, ut est in Liv. ep. 77, tribunus plebis auctore C. Mario perniciosas leges promulgavit, ut exules revocarentur et novi cives libertinique distribuerentur in tribus. cf. Mommsen d. röm. Trib. 169 sqq. 7. eandem legem h. e. de eadem re, ceterum, quae est interpretatio Ernesti 'non de exulibus non revocandis, sed, de exulibus, et quidem revocandis' videtur autem ille non affirmasse a sese aliam atque antea legem nunc ferri, set, quo ipso differentiam recentis legis demonstrare conabatur, 'aliis'. diceret opponitur alteri verbo ferret, quod ut in implicatiore structura citius intellegeretur, suspicor a scriptore additum fuisse particulam adversativam; praeterea eieci nam, quod post 'commutationem' adhaeserat, planeque obscurabat constructionem, verbo dicebat (9) a 'qui' (5) divolso. — quae inde a § 40 recensentur vitia, Quint. V, 13, 34 brevius describit. 12. si cum causa fecit. audis hominem Maria-
46 narum partium. 16. et amplificationibus non est, cur eum Ernesto ac posterioribus editoribus suspectum habeamus, exornationi enim si similia exempla res indicatae inserviunt, quidni amplificatio quoque? ea vitiose usurpatur, si quis augeat peccatum ante quam satis idonea argumenta commissi facinoris attulerit (74, 12).

74, 1. de simili et exemplo agit Anaximen. 30, 15; 34, 24. exemplorum λύσις tractatur ab Apsine IX, 521. — res iudicata — inproba. Aesch. III, 193. λέγει δὲ ὁ φεύγων οὐχ ὡς ἔννομα γέγραφεν, ἀλλ' ὡς ἤδη ποτὲ καὶ πρότερον ἕτερος τοιαῦτα γράψας ἀπέφυγεν. 10. quod advorsarii factum esse confiteantur, de eo argumentari ideo huc refertur, quod amplificatio ibi omittitur, ubi expectabatur. Longin. IX, 555 ait: ὅταν γὰρ ἀποδειχθῇ τι πρᾶγμα (scr. πραχθέν), οὕτω τὸ πρᾶγμα αὔξεται. Cic. Inv. I, 92 ‘perspicuom’ appellat, ‘de quo non est controversia, ut si quis, quom Orestem accuset, planum faciat ab eo matrem esse occisam’. contrarium vitium est, si augetur, quod nondum liquet esse factum. cf. Cic. Mur. 68. ‘factum sit necne, vehementer quaeritur: si factum sit, quin contra legem sit, dubitare nemo potest’. 18. quae non primum quidque, quod dictum est, conplectitur. h. e. quae non capita orationis tenuioribus rebus omissis complectitur. sola transpositione suam scriptori sententiam reddidimus. conf. III, 1: ‘interea prima quaeque et nobiscum quom voles et sine nobis legendo consequere’.

75, 1. quae non breviter concluditur. ‘conplexio enim est’ (cf. Cic. Inv. I, 67) ‘per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. 7. conclusiones etiam ap. Cic. Inv. I, 98 47
tripertitae sunt, divisio fit in enumerationem indignationem conquestionem. has duas partes una amplificatione complectitur Part. 52. Aristot. Rhet. III, 19 amplificationi et enumerationi addit τὸ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως et τὸ αὐξῆσαι καὶ ταπεινῶσαι, quod in τέχναις Θεοδεκτείαις appellaverat τὸ ἐπαινεῖν ἢ ψέγειν, omissa illa altera parte, quae potius prooemii est propria, cf. Anon. Seg. 454, qui ipse distribuit officium epilogi εἰς τὸ πρακτικὸν καὶ τὸ παθητικόν, καὶ τοῦ μὲν πρακτικοῦ ἐστιν ἡ ἀνακεφαλαίωσις κτέ. aput Anaxim. vide 78, 17 sqq. et 82, 6 sqq. — 8. in quattuor locis — conclusione. ista h. l. aliena sunt, ubi de sola ultima orationis parte, non de concludendis ceteris partibus agitur; fluxerunt fortasse ex Cic. de or. II, 312 ‘itaque vel narratione exposita saepe datur ad commovendos animos degrediendi locus vel argumentis nostris confirmatis vel contrariis refutatis vel utroque loco vel omnibus — recte id fieri potest’. 11. de enumeratione vid. Anaxim. 47, 24 cum not. Speng. Cic. Inv. I, 98 ‘enumeratio est per quam res — dictae — reminiscendi causa unum sub aspectum subiciuntur’ Part. 59, ubi ait eius tempora duo esse, ‘si aut memoriae diffidas eorum, aput quos agas — aut frequentatis firmamentis orationis et breviter expositis vim est habitura causa maiorem’. adde Quint. VI, 1, 1. exemplum enumerationis cum conformatione iunctae vide Cic. Verr. II, 5, 136—8. — 16. facta ex solis dl^{1} recte restituit Graev. laudatis locis Cic. Brut. 30, Or. 172. Gell. XVIII, 21. (quibus adde Cic. de or. II, 36, III, 184) monens etiam, Graecos eadem notione πεποιημένην λέξιν usurpare.

76, 1. ostendendae non erat mutandum, cf. III, 6 (86, 10). — 48
8. idem primus locus ap. Cic. est Inv. I, 101; ‘sumitur ab auctoritate,

quom conmemoramus, quantae curae res ea fuerit dis inmortalibus aut eis, quorum auctoritas gravissima debet esse.' exempla huius loci etsi non ex conclusione petita extant aput Lycurg. 91 sqq. Cic. p. Mil. 8. — 12. secundus quoque locus isdem fere verbis a Cic. Inv. l. c. describitur, set adiectis indiciis sic: 'an ad omnis aut ad maiorem partem quod atrocissumum est, an ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissumum est, an ad paris animo fortuna corpore, quod iniquissumum est, an ad inferiores, quod superbissumum est.' hinc aperte translatum 'quod atrocissumum est' in Cornificii expositionem, cetera interpolator omisit. ad omnis rem, qua de agitur, pertinere saepe monent oratores, ut Isocr. XVIII, 34. XX, 21. Demosth. XXI, 8, 126 sq. 219 sqq. XXIV, 205. Cic. p. Tull. 36 et Caec. 76 sq. quem locum Madvigii et Spengelii usus inventis sic nuper emendabam: 'sin iuris haec vox est, esse vim non in caede solum, set etiam in animo, lubidinis, nisi cruor adpareat, vim non esse factam, si iuris, eum dici deiectum esse, qui prohibitus sit, lubidinis, nisi ex eo loco, ubi vestigium inpresserit, deici neminem posse, si iuris rem et sententiam et aequitatem plurumum valere oportere, lubidinis verbo ac litera ius omne torqueri, vos statuite ita, recuperatores, res illae ut ne viliores esse videantur'. res illae sunt 'populi Romani causa civitatis ius bona fortunae possessiones' quae 'in dubium incertumque revocabuntur', si Caecina causam non optinuerit. 17. tertius et quartus locus idem, set minus distincte expositus est ap. Cic. Inv. I, 101. ille illustratur etiam Top. 67 ubi appellatur 'l. de effectis'. ex multis exemplis laudo Antiph. II, 1, 10; Demosth. XXIV, 215 sqq.

77, 2. quartus locus tractatur ab Anaximene 78, 6, usurpatur a Lysia XXX, 23. Aesch. I, 117 sq. Demosth. LVI, 48. — 5. si sententia aliter iudicare sit. locutionem in multis codd. plane obscuratam, in optumis leviter corruptam (ut IV, 22 extr. cod. *h* 'administrarum' habet pro 'administrare') revocavimus. cf. III, 10 'pluribus verbis ad eam te adhortari non est sententia'. interpolationis originem repete a loco Ciceroniano 'hanc esse rem, quae si sit semel iudicata, neque alio conmutari iudicio neque ulla potestate corrigi possit.' facit huc etiam Inv. II, 100 'permagnam esse (eam rem) et magno futurum detrimento, si ea res ab iis, qui potestatem habeant, neglecta sit.' (sic legendum cum Victorin. 154 ed. Or.) sententia obvia ap. Cic. p. Flacc. 4. — 9. constructio est: 'nullam rem adiumento futuram huius rei — leniendae' etc. non igitur
49 est, cur Ernestum audias, 'adiumento' spurium esse opinanti. 10. de sexto loco consentit Cic. Inv. I, 102; sententiam eloquitur Antipho V, 92: *τὰ μὲν ἀκούσια τῶν ἁμαρτημάτων ἔχει συγγνώμην, τὰ δὲ ἑκούσια οὐκ ἔχει.* ea saepe redit, ut Demosth. XXIV, 49. — 13. septimus locus est ap. Cic. Verr. II, 1, 82 'quom te in oppidis et civitatibus amicorum non legatum populi Romani, set tyrannum lubidinosum crudelemque praebueris — hic tibi perfugium speras futurum?' adde Cic. Inv. I, 102, Demosth. XXIII, 56. iniuria mulierum optumi codd. aut in iniuriarum aut in iniuriam contraxerunt.

78, 2. octavum locum Cic. pluribus persequitur Inv. I, 103; similia vide ap. Dem. XXI, 62—66. — 4. quo maturius et atrocius vindicandum sit. sic etiam Cic. p. Caec. 7. 'ut quaeque res est turpissuma, sic maxume et maturissume vindicanda est.' 5. nonus locus tractatur a Cic. Inv. I, 104 et Quint. VI, 2, 21: 'quaedam videntur gravia per se: paricidium caedes venificium; quaedam efficienda sunt. id autem contingit, quom magnis alioqui malis gravius esse id, quod passi sumus, ostenditur.' exemplum praebet Lys. XXX, 25. Demosth. XLV. 43 sq. — 6. stuprare ingenuom. cf. IV, 12, ubi item distinguitur vis matrifamilias et ingenuo illata. nec aliter Cic. Verr. II, 1, 62 'quam multis istum ingenuis, quam multis matribus familias in illa — legatione vim adtulisse existumatis?' ubi tamen Zumptius supplebat 'virginibus' sileri enim de illo quidem flagitii genere in tota accusatione. scilicet oblitus erat eorum, quae Verr. II, 5, 33 leguntur. idem discrimen redit Philipp. III, 31 'matres familias virgines pueri ingenui abripiuntur.' 8. de decumo loco cf. Cic. Inv. I, 104, et isdem fere verbis dicta Div. 38. exempla lectores oratorum sua sponte invenient aput utrumque principem pluruma; aput Lys. cf. XXXII, 16—18. Aesch. III, 157. — 11. rerum consequentium enumeratione exornatio constat. quae infra IV, 51 descriptio nominatur; eam Cic. Part. 55. in amplificationis adiumentis recenset. praeter hos decem locos utrique scriptori communes Cicero quinque affert. quorum tamen duodecumus et quintus decumus octavo simillumus est, tertius decumus septumo. 13. misericordiae partes hic non numerantur, ut a Cic. Inv. I, 106, qui conquestionis item quindecim locos describit. eundem vide de arte sua miserationis excitandae agentem Or. 130 sqq. diversa habet Anaxim. 65, 8. — si variam fortunarum conmutationem dicemus. ut Cic. p. Mil. 69, p. Sull. 89, 91. — 14. in quibus commodis — simus. Cic. Part. 57. 'proprius locus est in his rebus aut amissis aut amittendi periculo; nihil est enim tam miserabile quam ex beato miser.' talia sunt aput Andocid. I, 144 sq. — 16. quae nobis futura sint. cf. Anaxim. 83, 4. — 17. si supplicabimus. ut Cic. p. Mur. 86, p. Sull. 92.

79, 1. si quid nostris parentibus. simile est aput Quint. VI, 1, 19 et Apsin. IX, 592: *κεκίνηκε τοῦτον τὸν λόγον καὶ ὁ Αἰσχίνης ἐν τῇ ἀπολογίᾳ ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς ἀυτοῦ, ἐλεεινοὺς αὐτοὺς εἰπὼν αὐτῷ προσφαίνεσθαι.* (sc. *αὐτῷ προφαίνεσθαι*, ut legitur ap. Aesch. II, 147.) adde Cic. p. Cael. 79. p. Sull. 88, p. Font. 37 sqq. et Brut. 88. 5. si nos semper — in malis fuisse ostendemus. cf. Cic. p. Mil. 5. — 6. si nostrum fatum — conqueremur. sic Cic. singularem miserationis causam affert p. Mur. 55. 'qui propter studium novae laudis etiam in veteris fortunae discrimen adducitur.' 7. patientiam futuram rei Cic. praedicat egregie, permutatione ex contrario adhibita p. S. Rosc. 144. 9. nil — arescit. a Cic. Inv. I, 109 auctor huius dicti laudatur: rhetor fuit Apollonius. saepe citatum est, ut a Cic. Part. 57. Iul. Severiano 345 ed. Capperon. Quint. VI, 1, 27. 'nec sine causa dictum est nil facilius quam lacrimas inarescere.' expectes hic quoque 'citius'.

III.

1 81, 8. Elocutio locum ante pronuntiationem et memoriam habere debebat: at si illam tertio libro inclusisset, in nimis magnum volumen is crevisset, quartus autem factus esset iusto brevior. hoc quidem indicatur verbis 'quia plura dicenda videbantur.' 12. prima quaeque i. e. potissuma et difficilluma. cf. II, 1 (27, 7). et nobiscum — consequere. similiter Cic. Top. 99 'huic generi — praecepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere quom voles.' ad hanc utilitatem h. e. ad hanc utilissumam artem, ait enim I, 1: 'non — in se
2 parum fructus habet copia dicendi et commoditas orationis.' 16. utrum potius — potissumum. Cic. Inv. I, 17 distinctionem sic instituit: 'si iuncta erit (causa), utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta an ex aliqua conparatione (placet considerare). simplex est, quae apsolutam in se continet unam quaestionem hoc modo: Corinthiis bellum indicamus an non? coniuncta ex pluribus quaestionibus in qua plura quaeruntur hoc pacto: utrum Karthago diruatur an Karthaginiensibus reddatur an eo colonia deducatur. ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur, ad hunc modum: utrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur — an teneatur in Italia.' ordo confusus ita restituendus est, ut legatur 'in qua quid potissumum sit quaeritur' et 'utrum potius sit, quaeritur.' duplex quaestio proponitur e. g. aput Demosth. XX, 5; triplex aput Cic. de prov. cons. 17: 'utrum duae Galliae decernendae sint an altera Gallia cum Syria aut Macedonia an neutra, set utraque Caesari relinquenda.' qui huic invidebant, nec tamen deducere audebant, aut ulteriorem Galliam decernebant aut citeriorem (36).

82, 6. captivos — redimat. cf. Cic. de off. III, 99 sq. Reguli dissuasio significatur. — 9. bello Italico ex inferiore versu (13) illatum tollendum potius duximus, quae sententia Orellii Halmiique est, quam scribendum cum Klotzio 'bello Poenico.' 16. malis 'ex ea causa.' erint ubi p^1 hanc ipsam lectionem offert, *h* 'erit' habet, (qui I, 10 praebuit 'erint') ausi sumus recipere. cf. Lachm. ad Gai. I, 146. — 17. omnes rationes eo sensu h. l. usurpatur ut IV, 24 (init.) 52 (med.). 18. eos
3 correximus, ac separavimus distinctius a superioribus; offendit enim, quod volgo legitur: 'omnem orationem eorum, qui sententiam dicent, finem sibi conveniet utilitatis proponere' ut orationi ipsi, non oratori consilium tribuatur; alterum incommodum ex ea lectione nascitur additis 'ut omnis eo totius orationis ratio conferatur.'

83, 3. utilitas in duas partis — dividitur tutam honestam. aliam Cic. rationem iniit Inv. II, 157, non subiungit honestum utilitati, set tria genera rerum expetendarum ponit: honestum utile et tertium ex horum partibus iunctum, ut 'amicitia bona existumatio' laudabile igitur, pars aput Cornif. honesti cum hoc tertio convenit. idem Part. 95 ab utilitate separat efficiendi rationem, 'quo toto genere quibuscum et contra

quos quo tempore aut quo loco aut quibus facultatibus armorum pecuniae sociorum possimus uti' requirendum est. Cornif. non tangit efficiendi facilitatem aut difficultatem, quippe quae in rationem tutam aut honestam non debet habere gravius momentum. tutam honestam asyndeton est ut II, 17, 34 (bis). 4. instantis periculi vitationem ut Cic. discessu suo rem publicam sibi servasse videbatur, p. Sest. 49. — 5. tribuitur et supra I, 2 revocavimus et restituendum est ap. Cic. Inv. I, 58, 61, II, 17 ex optumis libris. 10. mentione. Ernesti hoc bene interpretatur de genere et artificio fallendi, quod inest in eo, quom homines iis, quos decipere et illicere in fraudem volunt, e longinquo ostendunt spem non pollicendo, set tantum obiter in sermonibus iaciendo, quod spem faciat. 11. de re militari. sic omittit scriptor h. l. quae Anaximenes habet 15, 18 sqq. 15. Cic. Inv. II, 159 easdem partes habet, set modestiam appellat temperantiam. simplicius quam uterque Aristot. Rhet. I, 9 virtutes describit. prudentia est calliditas — negotiorum. Ciceroni Inv. II, 160 prudentia tribus partibus constare videtur: memoria intellegentia providentia. 19. cf. Cic. Inv. II, 160: 'iustitia est habitus animi communi utilitate conservata suam cuique tribuens dignitatem.'

84, 1. Cic. Inv. II, 162 'fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio: eius partes: magnificentia fidentia patientia perseverantia.' has deinde partes definit. etiam temperantiae, quae est 'rationis in lubidinem atque in alios non rectos inpetus animi firma et moderata dominatio' tres ab eo partes describuntur: continentia clementia modestia. 8. ad disciplinam lectio codicis π est, quod moneo, quia 4
'ad' excidit in varietate lectionis. 'disciplinam scientiam' est in *hpk*[1], 'disciplinam aut scientiam' in *egr*[12]. unde facile nascebatur suspitio alterum alterius vocabuli glossema esse. iam intellegetur, qui nata sit volgata, 'disciplinabilem scientiam': ita scilicet scientia ad disciplinam (faciens) explicabatur; Cornif. loquitur de doctrina ad exercitationem accommodata, qua adhibita facilius exercentur discipuli. sic Ernesti istud 'disciplinabilem' recte accepit, non recte huic scriptori relinquendum esse statuit, quod in Tertullianis Cassiodoriis Alcimis demum tolerabile est. 10. rei gestae praesentem — memoriam. h. e. quam rem recordamur, cui ipsi interfuimus. similiter infra loquitur 87, 1: 'laudabile est, quod conficit honestam — praesentem commemorationem.' 16. si leges — servari. sententia exornatur a Demosth. XXIII, 22—69.

85, 1. colenda etsi ab optumis libris oblatum accipere vereor, pluribus enim nominibus generis feminini durius adiungitur. 2. nec simultate ut Cic. de pr. cons. 2, 18. — 5. faciendam Ern. glossema esse pronuntiat, quasi Ciceronis usus, qui Fam. IX, 2 'tibi hoc censeo' scripsit, obtrudendus sit Cornificio. 9. sequi et appeti. exempla 5
huius generum coniunctionis affert Lachm. ad Gai. p. 312 etiam hoc nostro usus. 10. vel viros fortes. particulâ varietas lectionis indicatur, ut passim; viros fortes autem ab iis correctum est, qui nomen desiderarent ab oportere pendens, nescii hunc scriptorem saepissume

solum infinitivum activi illi verbo apponere, nullo nomine s. pronomine addito. cf. 1, 18 ‘id quod oportuisset simpliciter docere’ — IV, 7 ‘si concederem aliena oportere adsumere exempla.’ 11. nec idoneas dignitate. Ernesti in ablativo offendit malitque ex interpolatione ed. Rom. 1474 ‘nec idoneas pro sua dignitate’ ‘elegans quiddam et non profecto a librario ortum’ exsculpere ‘nec eas pro sua dignitate.’ at qui scripsit IV, 20 ‘vix satis idoneae tibi videbuntur, quae virtutis pedisecae sint’ poterat adiectivo plane eiusdem ac ‘dignus’ notionis etiam constructionem eandem tribuere.

6 86, 4. eadem res tractatur ab Aristot. Rhet. I, 9, 28. Cic. Inv. II, 165. Part. 81. quodam modo pertinent huc etiam Top. 94. — 6. ut haec attenuentur, quae supra demonstravimus. loquitur de virtutum descriptionibus, ut prudentia supra § 3 ‘scientia cuiusdam artifici’ appellata hic attenuando fit ‘inepta et garrula et odiosa scientia’ sic lemma minume insiticium esse videtur, quod Ern. opinabatur assentientibus Schützio Orellio aliis. constructio est ut 21, 15. — 10. non nova res inducitur, set praeceptum generale in partibus recti tractandis demonstratur, qua re item volgatam lectionem correximus. 12. inertia vitium iustitiae finitumum multo minus recte dicitur quam modestiae, ac perincommodum, quod sic idem vitium duabus diversis recti partibus opponitur; nec debuit Klotz de ea re dissentire a superiorum editorum iudicio. quod praeceptum attinet, schema hoc paradiastolae nominatur a Rutilio Lupo I, 4, qui locus sic, opinor, legendus est: hoc schema res duas (‘plures aut duas’ codd.); quae videntur unam vim habere, disiungit et quantum distent, docet suam cuique propriam sententiam subiungendo. Hyperidis: ‘nam quom ceterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris: non enim probas te pro astuto sapientem [intellegi], pro confidente fortem, pro inliberali diligentem [rei familiaris] pro malivolo severum: nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.’ quae inclusimus, Hyperidiis aliena manu adiecta habemus. non idem, set simile praeceptum est Anaximenis 66, 16 qui describit refutationem *ἐκ τοῦ παραλελειμμένου τρόπου· οἷον ἐὰν ὁ ἐναντίος δίκαιον ἀποφήνῃ, σὺ ἐπιχείρει δεικνύναι, ὥς ἐστιν αἰσχρόν* etc. 14. dicet. nulla apparet causa, cur non hic quoque futurum exactum posuerit, idque in notis saltem admonuimus.

7 87, 5. superiori non quod — soleant respondere oportet verae causae expositionem, ac, ni fallor, ita ut eadem particula causalis usurpetur. ideo mutatum est, quod volgo legebatur quamquam. similis constructio est II, 13 (40, 3). laudabile separatim spectatur a Cic. p. l. Man. 43 sqq., ubi commendat Pompeium ab auctoritate, postquam ab virtutibus eum praedicavit. 9. ab idoneis hominibus. cf. Anaxim. 8, 2. Aristot. Rhet. I, 7, 21, II, 23, 12. — 13. quom — sit. ratione caret, quod in recentioribus edd. legitur: ‘quum — fit’: scriptor causam reddit, cur breviter aperiat talis causae tractationem, pleraque enim iam supra dixit in describendis recti partibus. 15. vel isdem rationibus adiecta particula sensum perverti iam Schütz vidit. 16. quibus

iudicialem causam. cf. III, 17 'commode poterimus — exordiri causam aut a narratione' etc. de prooemio et narratione in causa deliberativa Cic. Part. 13 haec praecipit: 'principia vel non longa vel saepe nulla, sunt enim ad audiendum qui deliberant sua causa parati. nec multum sane saepe narrandum est: est enim narratio aut praeteritarum rerum aut praesentium, suasio autem futurarum.' adde de brevitate prooemii ib. 97. —

88, 2. in rationem tutam atque honestam. utramque Cic. 8
ostendit in or. de pr. cons. quom utilitati rei publicae suas inimicitias condonat, §§ 19, 20, 24, 30, 35, 40 et p. l. Man. quom docet et dignitatem et utilitatem rei publicae postulare, ut Pompeius bello Mithridatico praeficiatur §§ 8, 27, 50, 53, 56, 64. contra nec honestum nec impetrabile nec utile maris imperium Atheniensibus esse Isocrates demonstrat VIII, 66 sqq. vide praeterea Anaxim. 63, 19. — 7. dilucide magnificandae causa. glossema hoc est, set corruptum iam in antiquissumis libris: nimirum 'rei dilucidandae causa' explicabat verba 'in docendo' 'magnificandae' verba in dicendo honestius; non satis clare sententia simplicibus docendi et dicendi vocabulis significari videbatur. 11. in dicendo male editores omnes cum superioribus coniunxerunt coniungendum omissa praepositione cum confirmatione et confutatione: hae enim orationis partes solae significantur dicendi verbo, atque sic ab exordio narratione et divisione distinguuntur. cf. quae modo legimus, vs. 3. 'utrumque pollicebimur (in divisione) nos in dicendo demonstraturos esse, si alterum, quod dicturi sumus, ostendemus.' nec aliter intellegas verba 11, 9. ratio eius rei petenda ex 16, 12 sqq. — 12. ut enim in multis codd. excidit, inde nata corruptio, ut a verbo utemur reliqua penderent, constructione contorta, sensu partim pravo, partim inani: contrariis enim locis non ipsi utimur, nostris autem nos uti per se intellegitur.

89, 1. de discrimine tutae et honestae rationis diserte praecipit Cic. Part. 89, 96. quaestionem autem de utili s. tuta ratione vide accurate distributam ab Hermog. *π. στ.* 49, ubi legendum vs. 19: *εἰ δὲ μὴ ἑλοίμεθα, τὰ μὲν ὑπάρχοντα ἀγαθὰ ἀπολεῖται, τὰ δ' οὐκ ὄντα μέν, προσγενόμενα δ' ἂν* (cf. 51, 8) *οὐ προσέσται.* pro ea Aristocrates sibi videbatur rogationem tulisse, refutatur a Demosth. XXIII, 102 sqq. eam partem extrinsecus petitam technographi contendunt cf. VII. 165 et 1303 ed. W. anonymus et Greg. Cor. at plane necessaria erat haec expositio *τοῦ ἀσυμφόρου.* — 6. sic Cic. de or. II, 334: 'vincit utilitas plerumque, quom subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri.'
9. pro honesta ratione passim Demosth. agit in Leptinea (XX) ibi cf. 126, 9
etiam 10, 13, praeterea Theonem I, 156. — 13. turpitudinem corruptum in turpitudo genuit interpolationem considerare; illam interpretare *δειλίαν.* statim (90, 3) eo sensu opponitur 'qui turpiter vivit' ei 'qui honeste', locutio autem redit infra 95, 4.

90, 3. similis sententia est aput Cic. p. Sest. 100; Senec. Suas. 12 ed. Bip. et 34, quo loco verba Latronis 'non futurum fidele vitae impetratae beneficium' conferes cum nostri dicto: nec esse exploratum — venturos (89, 14). — 5. quam plurima — exempla proferre. Ana-

xim. 30, 15 sq. 32. 8 sqq. hanc partem multis verbis illustrat adhibita divisione in *παραδείγματα κατὰ λόγον* et *παρὰ λόγον*. Isocrates autem VIII, 71 sqq. 116 sq. comparatione superiorum temporum Graecae historiae probat Athenis deponendum esse maris imperium. Cicero de prov. cons. 20 affirmat 'ego omnium meorum consiliorum atque factorum exempla semper ex summorum hominum factis mihi censui petenda.' deinde complura eius modi recenset 20—22. idem Part. 58 in cohortationibus — bonorum ac malorum enumerationes et exempla valere pluru-
10 mum monet. vide etiam Aristot. Rhet. III, 17, 5. — 7. de demonstrativo genere cf. Cic. Part. 71 sqq. Theo I, 226 sq. — 10. triplex divisio passim invenitur. cf Spengel ad Anaxim. 6, 23, laudatisque ab eo adde Cic. Part. 38, de or. II, 46, 342, Inv. II, 177. Theonem l. c.

11 91, 2. aut ab eius de quo loquemur persona. hoc principium tractatur ab Anaximene 68, 4, id, quod est ab eorum, qui audient, persona, ab Aristot. Rhet. III, 14, 11 *ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατὴν ἢ αὐτὸν ἢ γένος ἢ ἐπιτηδεύματ' αὐτοῦ ἢ ἁμῶς γέ πως.* 5. Isocrates simile profert IX, 5. — 6. aut quod rectum sit aliorum laude ostendere, qualis ipsius animus sit. haec respondent verbis infra 9 sq. positis 'aut quod placeat ostendi, quid nobis displiceat. ex aliorum vituperatione.' qua re nulla ratione ordo in C obvius defendi potest, quem in recentissumis edd. revocatum mireris. 11. ab eius persona, de quo loquemur. Anaxim. loc. modo cit.: *ἐπὶ τὸ προσέχειν δὲ παρακαλοῦμεν — ἐκ τοῦ θαυμαστὰ καὶ περιφανῆ φάσκειν [καὶ αὐτὸν ἴσα καὶ] τοὺς ἐγκωμιαζομένους [καὶ τοὺς ψεγομένους] ἀποφαίνειν πεπραγότας.* hic legerim *ἀποφανεῖν* et inclusa, utpote ex gl. marginali *κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τοὺς ψ.* profecta deleverim. 12. idem invenias ap. Isocr. V, 82, XII, 36; similia ap. Demosth. XIV, 1. XX, 76. 13. sive omnis sive hominis legis, male abundat, opponuntur inter se virtutes ac facta, ut adiecto ipsa intellegitur.

12 92, 2. activa notione hic usurpatur ignotus ut ap. Cic. Fam. V, 12. 7. — 15. principia a personis aut rebus sumuntur s. trahuntur, non a rationibus, cf. 91, 1. vitium igitur non erat in tractato, volgata lectione, quam meliores quidam libri tenent, set in praepositione, qua plerique boni libri carent; igitur falsi editores sunt, qui Ernestum secuti 'pr. tracto ab aliqua harum — rationum' reposuere. ceterum comparetur cum tota hac laudationis descriptione Theo I, 229 sqq.

93, 3. divisione hac utemur. similis Anaximenis praeceptio est 68, 12: *μετὰ τὸ προοίμιον δεῖ διελόμενον τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς ἀγαθὰ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντα ποιεῖν οὕτω· τὰ μὲν ἔξω τῆς ἀρετῆς εἰς εὐγένειαν καὶ ῥώμην καὶ κάλλος καὶ πλοῦτον, τὴν δ' ἀρετὴν εἰς σοφίαν καὶ δικαιοσύνην καὶ ἀνδρείαν καὶ ἐπιτηδεύματα ἔνδοξα.* verba et lacunosa et corrupta fortasse sic emendari poterunt: *ἐπαινεῖν, διαιρήσομεν δὲ οὕτω· τὰ μὲν κτέ.* praeter Anaxim. cf. Hermog. Prog. I, 37 sq. Aphthon. I, 86 sq. — 7. deinde ut legeretur pro lectione omnium codd. set series rerum enumeratarum postulabat. 10. in demonstranda vita. hinc confirmatio initium capit antecedentia divisione

continebantur. 11. verba 'quibus maioribus natus sit' spuria habuit Ernesti, assentientibus Schützio et Orellio: latuit ergo eos, nullam sic relationem relinqui istis: parem — excelsiorem fuisse. quod autem a genere exorditur laudem, idem postulat Anaxim. 68, 20, sequiturque Isocr. IX, 12. — 13. cf. Anaxim. 69, 20. ἐὰν δὲ μηδὲν ἀπὸ τῶν προγόνων ἔνδοξον ὑπάρχῃ, λέγε, ὡς αὐτός ἐστι γενναῖος. de genealogia tractanda idem multo prolixior est quam Cornif. de educatione autem brevissimus (70, 8). — 16. quam honeste — fuerit. recepimus lectionem librorum non optumorum, quippe haut offensi varietate structurae, ut Ernesti et Schütz.

94, 1. in vituperatione inde detrahere oportet. cf. I. 18 14
(16, 18) 'non ut de illorum quicquam detraheret inventione'. ignoratio formulae malas quasdam mutationes codd. peperit. quom in secundam familiam illatum est 'inde retraxisse aperte' sive 'inde se r. aperte' quod etiam in tertiam manavit, in cod. *r* autem: 'deinde transire oportet', quod necessariam reddidit adiectionem verborum 'e contrario' post 'vituperatio' utramque corruptelam habent *οφ*, deinde editi libri varie has depravationes miscuerunt. exemplum talis detractionis petere licet a Demosth. XVIII, 259—264, ubi Aeschinis educationem carpit, postquam suam laudavit 257 sq. vid. etiam Isocr. IX, 22. — a corporis commodis respondet superioribus: 'ab externis rebus' male hic Ern. adscribit: 'nempe ab genere et educatione, quae sunt in externis, vult transiri ad externa et ab his rediri rursus ad externa': immo distinguuntur externae res et corporis commoda, quae ab animo aut plane non tractantur, aut certe minus ab eo reguntur, et eae, quibus tractandis animi virtutes aut vitia se produnt. opus autem non fuit istis: 'deinde transire oportet ad corporis commoda' quom sufficiat ad indicandum ordinem, quod statim legitur (10) 'deinde revortemur ad extraneas res'. 2. in laude etsi optumi libri omittunt, tamen requiritur, id quod iam Ern. monet, propter sequens (6): 'in vituperatione', ceterum volgo et ordo pervertitur lectione 'a natura in laude' et adiecta praepositione corporis commodis natura permutatur. sequentia 'casu et natura' (8) poterant veram rationem demonstrare. — 6. Isocrates sic IX, 22 in Euagora puero ῥώμην κάλλος laudat, atque ibidem σωφροσύνην: in Helena autem variis rationibus pulcritudinem praedicat X, 16—19, 38—69. — 7. usum dicemus h. e. non laudabile ducemus, quod usus sit naturae bonis. hoc qui non viderent, male 'male' alleverunt. nobis in praestantissumorum codd. lectione de his latere videbatur videlicet. 10. non fuisse aptum est. si ut hic, passim de homine defuncto est oratio, nec est eur admittamus correctiones aut iam in libris aut nuper a VV. DD. factas. fuisse sane, meliorum codd. lectio, contrariam sententiam efficit. probavit tamen I. Gronov. saepe peccant antiquissumi libri omittenda particula negativa, ut 114, 6; 116, 4, aput Cic. Part. 125 vel bis excidit in uno versu: totum illum locum pessume habitum sic correxerim: 'negat enim (accusator) probari oportere eos, qui legem scripserint, ne ratum habeatur iudicium, si totum corruptum sit, si unus accusator non corruptus sit, non rescin-

dere: nititur aequitate, e qua scribenda lex fuerit, set quae conplecterentur illi iudiciis corruptis, ea verbo uno praevaricationis conprehendisse dicit’. 11. commode haec illustrantur a Cic. de or. II, 342. — 12. cf. Isocr. IX, 56. 61—64, 68.

95, 2. quem ad modum habuerit in potestatibus gerundis animum: hoc Isocr. IX, 42—46 de Euagora docet. — 4. eadem fere invenias aput Cic. Part. 82. — 6. Cic. de or. II, 348 propterea monet oratori virtutum cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, necessariam esse. 7. aliud iuste etc. adhibe Isocr. IX. 23, ubi virtuti tenerioris aetatis, σωφροσύνῃ accessisse dicuntur in Euagora adulto ἀνδρεία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη, Cic. p. leg. Man. Pompeio sic tribuit omnes virtutes: scientiam militarem § 28, fortitudinem (s. virtutem) 29—35, innocentiam 36—39, temperantiam 40; tres, non commemorata prudentia Murenae § 38; contraria tria vitia Pisoni de pr. cons. 4—6, praeterea infelicitatem (quippe ex inscientia ortam) eidem et Gabinio 8, 9.

96, 3. enumeratione ad exitum causae deteriores tantum codd. habent, nec opus tali additamento, quod non nisi interpretatur conclusionem; pro eo autem, quod in optumis corruptum legitur ‘nostri causa’ aut ‘nostrae causa’ veteres critici ex quorum recensione codd. $\pi\varepsilon\varrho^1 b$ fluxerunt, intulerunt ‘in ipsa causa’ quasi a causa possit separari conclusio, quam hic quidem scriptor in causa inesse existumat, cf. IIII, 58 et III, 22 (103, 8) ‘continens vox — animum vehementissume calefacit auditoris in totius conclusione causae’. itaque hoc quoque loco malumus legere in tota causa. de communibus locis passim in oratione usurpandis vide not. ad II, 9 etiam Quint. VII, 10, 11 negantem posse ‘nisi in re praesenti constitui — reservandi perorationi an per totam actionem diffundendi affectus’. 7. in vita. opponuntur, quae IV, 32 dicuntur ‘ad delectationem quam ad veritatem accommodatiora’. 8. neglegentius commendandum h. e. ab ipsis magistris, qui alioquin contemnere possint genus separatim rarius usurpatum. commendatur autem a Theone I, 151 sq. et ipso Cicerone de or. II, 349, III, 105. Part. 69. qui ‘commentandum’ maluerunt legere, non reputaverunt sententiam scriptoris, nec notionem verbi. orationem enim commentari possumus, non genus orationis; quid autem velit Cornif., statim significat, quom verbis ‘neque enim — vituperationis’ ipse studiose commendat genus demonstrativum. 11. in indicialibus et in deliberativis causis. sic Isocrateae orationis de bigis (XVI) quae supersunt, paene omnia laudationi Alcibiadis inserviunt; multa panegyrica habet Leptinea, Dem. XX, 30 sqq. 45 sqq. 75 sqq., vituperationis partes vide ap. eundem XXIII, 144. Ciceronis cf. de prov. cons. 32—34, p. Balb. 9, 13; or. p. Mur. paene tota versatur in laudando hoc reo comparandisque cum eo accusatoribus. contrarium est, quom pars iudicialis generis in demonstrativa oratione versatur, qualis ea est, quae de praemio habetur. de ea loquitur Cic. Inv. II, 110 ‘neminem conveniet arbitrari, nos, quom aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere: quicquid enim de homine probando aut inprobando dicitur, quom ad eam dictionem sententiarum quo-

que ratio adcommodetur, id non, etsi per sententiae dictionem agitur, deliberativum est, set quia de homine statuitur, iudiciale est habendum'. hic 'quoque' delendum videtur et ex cod. erf. recipiendum 'adcommodatur'.

97, 4. Cic. de or. II, 307 eandem profert divisionem. priorem ratio- 16
nem Apollodorii solam putabant sequendam esse, recte obloquentibus Alexandro Num. et Neocle cf. An. Seg. 442, 10. — 10. huius loci non esse commemorationem argumentationum attento lectori facile liquebit. aeque otiosa est ac quae adiecta sunt II, 47 de conclusionibus. tamen non omnia a Schützio reiecta sunt: servavit priora 'item — docuimus', sustulit ne tantulo quidem viliora 'id est — profecta'. 16. Quint. hanc 17
liberiorem orationis conformationem per singula describit VII, 10, 11. legendus etiam Hermog. π. εὑρ. 109 sq., ubi agit de Demosthenis artificio in conversione partium orationis posito, et π. ἰδ. 211 sq. — 18. quando principium omittendum sit, docet An. Seg. 430 sq. — 19. exemplum orationis, in qua a literarum recitatione initium fit, est ap. Isaeum. XI, 1. — 20. secundum — narratione. cf. Rhet. Gr. VII, 730, Speng. ad Anaxim. 220.

98, 2. Quint. idem monet IV, 1, 70. — 3. nam — firma argumentatione (12). haec omnia complectamur, quibus duae potissumae ponuntur, cur artificiosus ordo mutetur, causae: si fatigati sunt animi auditorum, orator omittit prooemium; si narratio parum probabilis est atque sic magnam difficultatem causa habere videtur, omittit narrationem et exorditur ab aliqua firma argumentatione. verba 'aliqua firma argumentatione' (6) bis scripta altero tantum loco apta sunt, vs. 12; ista vero 'si causa — revertemur' et sensu carent, causa enim, quae magnam difficultatem habet, probabiliter narrari nequit, et moleste iterant superiora de initio a narratione faciendo, unde ad principium redeat oratio. 6. exordiri causam narratione. hoc fit ab Isaeo in or. III et IX, in quibus ab narratione capit initium. 7. de reditu ad prooemii sententiam agit An. Seg. 442, 15, ubi ait, ab Alexandro Num. et Neocle *ἐνίοτε καὶ πρὸ τοῦ προοιμίου* locum narrationi tribui, *ὁπόταν ὁ δικαστὴς προηρεθισμένος ᾖ.* ib. lege nunc mecum: quod non semper n. e. 11. audiatur hic Aps. IX. 495 *ἐνίοτε οὐ διηγητέον, ὅταν καθ' ἡμῶν ἡ διήγησις ᾖ*, etiam An. Seg. 440. 15. 452, 9. Senec. Contr. II, 9, p. 147 ed. Bip. — 15. nunc demum ad argumentorum dispositionem pro- 18
greditur, de quibus agendi antea tempus non fuit. 16. idem praecipitur a Cic. de or. II, 313, Or. 50 et Apsine IX, 515 sq. — 20. cum ceteris coniunctae. nam, quod dicit Quint. IV, 2, 82: 'quaedam argumenta turba valent, diducta leviora sunt'.

99, 1. similis est admonitio Ciceronis de or. II, 313. — 4. lectione codd. optumorum 'reliqua' s. 'reliquum' patet vestigia servari eorum, quae respondeant superioribus re narrata, ut legi oporteat aut 're dicta' aut 're acta'. illud propter ductus literarum similiores praetuli, nunc vellem 're acta' dedissem. cf. III, 27 (108, 13) 'pronuntiationem bonam id perficere, ut res ex animo agi videatur' etiam IV, 25 'sententias interponi

raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores videamur esse’. nuperrume dictum i. e. in extrema oratione, cf. I, 10 (10, 10). — 7.
19 comparatio redit aput Cic. Br. 139. Quint. VII, 10, 13. — 10. de pronuntiatione in volgus notum Demosthenis dictum est, cui Cicero adstipulatur Brut. 142, de or. III, 213, Or. 56. pro exemplo actionis mediocrem oratorem commendantis esse potest, quod Cic. de Cn. Lentulo narrat, Brut. 234: ‘qui quom esset nec peracutus — nec abundans verbis — sic intervallis exclamationibus voce suavi et canora admiranda dignitate valebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur’. sic enim legenda existumamus multorum coniecturis vexata. alterum eius rei exemplum (ex contrario) Laelium ponimus, (Brut. 86) qui quom in defensione puplicanorum adcurate eleganterque dicendo parum profecisset, ipse illis auctor fuit, ut causam suam Ser. Galbae committerent, quod is in dicendo adhortor acriorque esset’ ubi nobiscum scribe ‘actuosior a. e.’ adhibito Cic. Or. 125 ‘sunt maxume luminosae et quasi actuosae (orationis) partes duae’. 11. unum de quinque rebus. enallage generis servanda fuit, optumis libris tradita et exemplis confirmata, ut II, 17 (13, 11).

20 100, 5. eadem divisio est ap. Cic. Brut. 141. Or. 55. utroque loco aptius actio dicitur, quod hic est pronuntiatio. 10. cura Schütz correxit prospiciens ad 101, 1; idem 11 ‘ratio decl.’ et 13 ‘moderatio decl.’ duxit ex 101. 4 et 6. — de cura vocis multa attulit Quint. XI, 3, 19. — 12. ut eam torquere — possimus pluribus explicat Quint. XI, 3, 40: ‘est quaedam (pronuntiatio) — habens omnis in se, qui desiderantur, sonos intentionesque et toto, ut aiunt, organo instructa.’

101, 2. cura de qua hic agitur, est diaetetica et medica. — 13. sermonem dicit, qui oratio est remissa et finituma cotidianae locutioni.

21 102, 1. integri h. l. interpreteris: intactus. hinc derivare licet notionem ‘non occupatus’ qua adhibita vide, num Cic. p. Sest. 12 dederit: ‘neque unquam Catilina quom — aestate integros nactus illos callis et pastorum stabula praedari coepisset, sine multo sanguine — concidisset’. 2. acutas v. excl. cf. Quint. XI, 3. 51. — 8. qua minus usitatum adverbium (cf. Ter. Ad. IV, 5, 56) auctoritate codicis *p*, a cuius lectione proxume abest, quod legitur in *he*, malui ponere quam exemplo Madvigii simillumum locum infra § 28 (109, 6) corrigentis ad Cic. de Fin. 428 ‘quo modo’ hic quoque inferre. potest autem locus alter ex altero emendari: illuc transtulimus ‘qua’, huc ‘item’ in apodosi. sententia etiam a Cic. de or. III. 178, 181 profertur: ‘id — auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, set etiam facile esse possit’. et a Quint. VIII, 3, 11. XI. 3. 44. — 9. gratia eo sensu hic est, quo IV, 36 extr. ‘quod si continuo venisses ad id verbum, nec rei nec verbi gratia animadvorsa esset’. 11. attinent ad suavitatem pronuntiationis infelici correctoris conatui tribuenda lectio haut attendentis ad sequentia, in quibus non solum de suavitate, set etiam de perspicuitate et vi orationis agitur. fefellit eum fortasse ineptum summarium infra 103, 9 sqq. positum. 12. idem voluntati auditoris pro-
22

betur: pro eo in omnibus *E* invenitur 'idem voluptate a. pr.' at vide Cic. Br. 83: quom sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur et lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis Laelius'. itaque Lamb. frustra in or. p. Quint. 93 'fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse' ad voluptatem praeferebat. 13. sedata vox in principio commendatur et a Cic. de or. III, 227 et a Quint. XI. 3, 161. — 14. de oratione respirationibus distinguenda, quo sit dilucida pronuntiatio cf. Quint. XI, 3, 33.

103, 3. aut sermone. res contrariae discerni debent repetita disiunctiva particula, quae omissa volgo latet in lectione cod. *e* 'ad sermonem'. 9. mireris in emblemate 'quoniam — dicemus' non Schützium offendisse, set Orellium demum, rationibus tamen non validissumis permotum. distinctio videlicet firmitudinis et suavitatis non ex mente scriptoris est facta. 'divisa' autem et 'coniuncta' prave posita sunt, ubi dicendum erat de firmitudine separatim et deinde coniunctim cum enuntiatione orationis tractata. 'cetera' ad mollitudinem referenda sunt, de qua tamen non 'paulo post', set statim legemus. his quamvis gravissumis vitiis non offensus est Orelli; ei displicuit nil nisi ista: 'erit dictum quae divisa sunt', quod in grammaticas regulas peccarent et supervacanea esse viderentur. sic accidit, ut uncos in priore editione appositos tolleret in posteriore. 14. igitur adiecit idem, opinor, qui incommodum sum- 23
marium ingessit, de quo supra egimus. rhetoris nisi hic ad eos respicit, 'qui non sunt inscii eius artifici, unde ratio curandae vocis petatur,' (20) malimus usitatam Cornificio locutionem restituere 'rhetoricam' scribendo. cf. IV, 69 'in his libris nil praeteritum est rhetoricae praeceptionis, adde III, 1, IV, 4, ubi invenitur 'rhetoricae artis'.

104, 2. amplificationi hic et instigatio et misericordia subicitur, quae supra II, 47 separantur. 11. oblivione quadam omisi admonere clamosa eodem iure repudiandum esse atque supra 5 remissa voce, nec 'acri vociferatione' tolerari posse. quod autem additur cum raris et brevibus intervallis, refragatur praeceptioni infra datae 106, 11. expectes potius 'cum longis et crebris intervallis.' fortasse Cornificius nil posuit praeter hoc: 'distr. est oratio frequens intervallis'. in contentione apposuisse ea causa interpolatorem existumo, quod eadem appellatio distributionis et in dividendis causis adhibetur et una est ex figuris sententiarum. cf. I, 17; IV, 47. — 17. inutilis et iniucunda enumeratio 24
similis illi argumentationum II, 30 (55, 20) vel a Schützio relicta est.

105, 3. dignum, quod huc transferatur Quintiliani praeceptum XI, 3, 20 'ut sint fauces integrae, id est: molles ac leves, quarum vitio et frangitur et obscuratur et exasperatur et scinditur vox — fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, convolsae fractis sunt organis similes'. 9. inserere si solum posuisset, praepositio fuisset omittenda ante 'animis.' insitam opinionem quandam animis hominum dicit Cic. p. Cluent. 4. — 12. celeriuscule Prisc. hinc laudat 611, 36. — at aliud otiose decurtatum hoc pro 'at aliud, quod otiose

volumus ostendere factum, ret.ʼ nisi scripserit, quod Ern. coniecit ʻat quod otiose, ret.ʼ — de sono narrationis vide Quint. XI, 3, 162.

106, 1. quod conieci, scribendum esse ʻtremebundam vocemʼ et deinde ʻvocemʼ omittendum vs. 3. iam Schütz, ut nunc video, idem statuit, nec retineri potest lectio codd. nisi h. l. admodum neglegenter Cornificium
25 scripsisse sumas. 2. nimiae h. e. abhorrentis a dignitate orationis. non opus correctione Ernesti ʻnimicaeʼ idem falsus est in indicandis lectionibus ʻleviter tremebundaʼ et ʻleniter oportebitʼ permutans adverbiorum locum. ut enim transitus vocis lenis, non levis dicitur, ita vox leniter, non leviter torquetur ab sermone simplici ad iocum. 3. Quint. contentionem tractat XI, 3, 163. — 6. vocem iungere est non uti intervallis in pronuntiatione, ut arte concludantur periodorum membra. 8. ut vim volubilem vociferatio consequi possit. haec est Quintiliano l. c. ʻfortis celeritasʼ, in qua vocis agilitatem clamor aequiparat. 12. consumere debebimus. hic Ern. audiendus fuit adscribens ad lect. volg. ʻiubemurʼ: ʻint. a magistris artis dicendi. sed noster supra dixit eos non praecipere diligenter de modo pronunciandi. itaque blanditur lectio ms. Cort. ʻiubemusʼ nisi totum verbum factum est e ʻdebemusʼ. nam etsi etiam magistri artium dicuntur iubere aput Ciceronem: tamen noster, quod observarim, nunquam hoc verbo de iis utiturʼ. Ernestum secutus est Schütz, nos verius tempus addidimus. paulo antea malis legi ʻin singulas excl.ʼ 13. attenuatissuma opponitur depressissumae (105, 3). — 14. conmutationibus crebris locus esse non potest, ubi sonus aequabilis poscitur; igitur verba notanda fuerunt. 15. crebris intervallis cf. Cic. Brut. 234. — 16. magnis conmutationibus. Quint. XI, 3, 63 describit diversam pro argumento pronuntiationem, ubi inter alia poscitur in miseratione ʻflexa et flebilisʼ pronuntiatio, in universum comparandus est Senec. Contr. pr. p. 65 ed. Bip. ubi Latronem vituperat: ʻnumquam illi cura vocis exercendae fuit — nil vocis causa facere: non illam per gradus paulatim ab imo usque ad summum perducere, non rursus a summa contentione paribus intervallis descendereʼ.

26 107, 4. sic Sulpicius laudatur a Cic. Brut. 203: ʻgestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videreturʼ Cassius Severus a Seneca Contr. III, p. 396 ed. Bip., ubi dicitur fuisse ʻpronuntiatio, quae histrionem posset producere, tamen quae histrionis posset videriʼ (immo ʻnon tamenʼ). praeceptum Cornificii redit ap. Quint.
27 XI, 3, 89, 181. — 19. porrectione iure Klotz restituit, usus loco Cic. N. D. II, 150 ʻdigitorum enim contractio facilis facilisque porrectioʼ. Ernesto scribenti ʻproiectioneʼ et Cic. Brut. 59 adhibenti, qui brachii proiectionem in contentionibus fieri iubet, sine causa Schütz et Orelli assensere; sensus enim discrimen nullum est. a Quint. XI, 3, 84 ʻbrachii moderata proiectioʼ ad ʻcontinuos et decurrentes locosʼ commendatur. idem dat inambulationis praecepta XI, 3, 126 et 128 de pedis supplosione agit. adde Cic. de or. III, 220, Brut. 141, 278.

108, 5. feminis plangore. cf. Quint. XI, 3, 123. Philostr. V.
28 S. 221, 21. — 15. simillumus locus est Ciceronis de or. I, 18 ʻquid

dicam de thesauro rerum omnium memoria? quae nisi custos inventis co-
gitatisque rebus et verbis adhibeatur, intellegimus omnia, etiamsi prae-
clarissuma fuerint in oratore, peritura'.

109, 6. set qua cf. notam ad 102, 8. — 10. porro — retineat et 29
amplificet. indicativo relicto praefixoque novae paragraphi signo adhuc
latuit periodum sic interrumpi ante absolutionem ultumi membri. similiter
neglecta est coniunctio arcte cohaerentium in or. p. Sest. 3, ubi capitis et
§ nota intempestive posita est ante 'et quamquam'. paulo ante cum Bakio
delebis 'quia' et 'iis potissumum vox haec serviat'. 17. ne ingenio suo
cum paucis deteriorum codd. legas, memento scriptorem ingenio fretis suum
non ingenium, set praeceptionem opponere, praeterea cf. Cic. de or. II,
103, 'adsequor, ut alio tempore cogitem, quid dicam, et alio dicam, quae
duo plerique ingenio freti simul faciunt'. nostri non indigerent —
daretur. Ern. 'nostro' reponens non animadverterat, hanc constructionem
a Cornif. vitari, ubique genetivum illi verbo iungi. quod autem coniunct.
imperf. praetulit, scriptori sententiam tribuit homines egregia naturali me-
moria praeditos carere posse artificiali, a qua longe aberat.

110, 4. quod genus equi leones probatur hoc exemplo, quod
Lachmannus ad Lucr. p. 85, 6 fieri posse negavit, ut 'est' omittatur in
hac formula. cf. praeterea I, 14 (13, 19) II, 19, 20 (45, 16. 46, 2 et
11) infra III, 15. quorum memoriam — oportebit. hic protasis su-
periora repetit, apodosis inferiora anticipat, utrumque incommodissume.
10. qui immodica habent *E* ante Crat. ut omnes *C*; illic adscri-
pserunt veteres interpretes hanc notam: imm. 'multa, ut longam oratio-
nem'. interpr. graecus item dedit **οἱ ὅσα ἂν τις εἴποι πλεῖστα μεμα-
θηκότες.**

111. a quotoquoque loco scripsimus, volgo omissa praepositione, 30
quam necessariam esse et per se patet, et ex comparatione verborum 'vel
ab superiore vel ab inferiore parte' consequitur. nec aliter interp. gr.
ἀφ' οὗ ἂν δή τινος ἐθέλωμεν. adiectis autem 'vel a media' (vs. 2)
minus opus erat. 10. egregia re coniecimus, ne duo adverbia eius- 31
dem terminationis coniungerentur. sic eo vocabulo Cornif. utitur III, 6:
'res non eius modi dicantur esse, ut virtutem possimus egregiam experiri'.

112, 6. ut distincti interlucere possint. ab Ernesto haec et
a Schützio tentata sunt frustra: loci inter se ut distinguantur vicissim
praefulgendo, postulat scriptor. 9. et mediocris isdem VV. DD.
glossema videbatur praeeunte Guilielmio; at respondet hoc sequentibus
'nimis angusti' etc. 18. plura noverit ab his in codd. melioribus 32
sic decurtatum, ut 'noverit' excideret, in deterioribus sic ut 'ab his' omit-
teretur. hi sunt, qui artem memoriae docent, ad quos etiam infra re-
spicitur verbis 'hac prompta copia'. paullo plura dictum, ut IV, 7. 'quis-
quis enim audivit de arte paullo plus'.

113, 10. si 'ex omnibus verbis notas nobis imagines eli- 33
gere debemus' concinnitas flagitat ut etiam 'omnium rerum simi-
lis imagines esse' oporteat. itaque volgata mutanda fuit 'quoniam
ergo rerum s. im.' iure praeterea reprehendebat Schütz, quod apodosis

'duplices similitudines' nil afferret, quod non iam esset in protasi; at hoc ipsius mutatione 'quoniam ergo rerum simulacra esse oportet et verbis nosmet notas similitudines eligere debemus, duplices imagines esse debent' minime vitatur: melius enim docere poterat lectio omnium codd. 'duplices igitur'. etiam de seqq. inutiliter nugatus est, quom ad sententiam totius loci non attendens singula sic scribendo depravasset: 'rerum imagines exprommuntur, q. s. i. r. similitudines comparamus, verborum imagines e. q. n. e. n. e. v. m. similitudine notatur' non enim velle scriptorem explicare, quid sint similitudines, set quid imagines, ac vocabulum imagines quod sit definitum, non debere in definitione poni. at haec nulla est definitio, set praeceptio tantum, 'imago' non per similitudinem explicatur, set utrumque vocabulum plane idem significans in vicem usurpatur.

114, 9. medico sc. digito, quod ex Pith. addidit Schütz, ne amphibolia existeret. medicus digitus s. medicinalis est vicinus ab imo, cf. Macrob. Sat. VII, 18. testiculos arietinos i. e. crumenam e
34 pelliculis testiculorum arietinorum. 11. cetera crimina quae olim commisit reus. 18. domnitionem 'primus edidit Victorius e Cic. de Divin. I, 33 bene. nam respicitur ad nomen Domitii et e verbis imago fit' adscribit Ern. confirmatur ea correctio lectione codd. *dl*[4] altero loco vs. 21. 19. 'in primo loco' dedit Schütz; rectius opinor nos 'in uno loco,' cui respondet 21 in altero l. cf. ne longe quaeramus, 113, 11. — 20. Regibus scribendum fuit, non regibus, familiae enim Regum Marciorum fit mentio.

115, 1. locum corruptum varia ratione sanare VV. DD. conati sunt. Schütz proposuit 'subornare Aesopum et Cimbrum in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum' idem Bergk Ind. lect. Marb. aest. 1844 p. XV, Orelli: 'subornari in Iphigeniam a Calchante Agamemnonem et M.' at sic non exprimitur 'parant'. Ribbeck (Praef. XV) 'Aesopum et Cimbrum subornare Iphigeniam velut agentes Agamemnonem et M.': obscurius hoc, quia non intellegitur, quid sit subornare Iphigeniam. Orelli in ed. priore bene vidit 'Ag. et Men.' interpretamenta esse nominum Aesopi et Cimbri; quod 'subornantis' legendum esse statuimus, poscere id videbatur antecedens 'tollentem'; ac quom apparatum quendam significari liqueat, vix alium hunc esse posse existumavimus quam nuptiarum, quarum vestigia delitescere videbantur in 'ut ad'. versio gr. *ἐν τῷ ἑτέρῳ τόπῳ Αἴσωπον θετέον καὶ Κύμβρον καὶ κοσμουμένην ἐν τῇ πλάνῃ Ἰφιγένειαν· τοῦτ' ἔσται κτέ.* expressit lectionem codicis *t* sive *o*. 3. set haec — notatione. male cohaerent ista 'tum valet — ut versu' etc. item improbandum 'hac notatione' post 'haec imaginum conformatio' synonyma enim ea sunt. fortasse 'vel' corruptum in 'valet' ce-
35 teras turbas creavit. 12. in lectione *hgr*[12] 'firmae et haeres' latere videtur 'firme haerentes'. Halm hoc ac tamquam verisimilius 'et acres' proposuit, laudans Quint. XI, 2, 22: 'locis est utendum multis illustribus explicatis modicis intervallis: imaginibus autem agentibus acribus insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint'. at si quid mutandum sit, praestabit Cornificium ipsum sequi, cf. supra 111, 11.

116, 4. non adiecto, quod facile ante nova elabebatur, lenius cor-
reximus lectionem optumorum codd. quam fit volgo. 6. 'incr. periculo-
sum ridiculum' lectio codd. $obl^{234}vo^{1}$ vertitur graece *ἀπίθανον κινδυνῶ-
δες γέλοιον.* 11. solis abesse potest, absolute enim exortus et occasus 36
sic etiam alibi ponuntur, cf. Tac. Hist. III, extr. nostro autem loco non
modo solis, set etiam lunae statim mentio fieri debebat, quom infra ecli-
pses solis, et lunae comparentur.

117, 5. ea accidet legendum esse suspicati sumus eodem sensu atque 37
supra 'qua' 102, 8; 109, 6. — notatas etiam *o* habet, et interpr. gr.
σεσημειωμένας, idem in suo exemplari 'multas' pro 'mutas' invenit.
8. aliqua re correxit Crat. quod in notis cr. commemorare omisi.
19. qui ediscere vellent h. e. qui memoriam vellent exercere: obiecto 38
facile caret sententia.

118, 4. haec poterunt. cf. Fleckeisen Mus. Rhen. VII, 273. —
7. vis contentionis frangitur volgata lectione 'ut ne quid — quaerat, quom
nos — tradamus'. particula est illata, opinor, ab iis, qui prohibere vel-
lent, ne negatio ad utrumque colon referretur, immemores exemplorum,
quale est notissumum illud Hor. Serm. I, 1—3. — 18. genera abesse 39
malimus, ita ut 'mille' fiat substantivum.

119, 1. et ipsarum volgatam lectionem esse hic addere liceat. 2.
quod et utilior sit. iam Schütz non auditus a posterioribus criticis
vidit hic non de rerum utilitate et facilitate quaeri, set memoriam rerum
cum memoria verborum comparari. 8. quae pertinet ad utilita-
tem h. e. ad ipsum usum rerum. sententiam eandem habet Senec. Contr.
IV, pr. (266 ed. Bip.) 'non est — utilis exercitatio nisi quae operi simil-
luma est illi, ad quod exercet: itaque durior solet esse vero certamine'
deinde suae aetatis scholas rhetoricas vituperans: 'in scholasticis declama-
tionibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt'. 13. quid va- 40
leat doctrina, comprobatur diligentiâ, quae in exercitatione secundum artis
praecepta ponitur; non est, cur cum Orellio 'corroboretur' inferamus.
21. poteris — cognita Schütz temere eiecit; dicit scriptor Herennium
aliquando intellecturum, quam utilis haec ars sit, si eius ope plurumarum
rerum cognitionem sibi compararit, nunc iam suspicari eum posse uti-
lem fore.

IIII.

121, 3. praeter consuetudinem Graecorum. fecit hoc Aristo- 1
teles, iique, quos laudat Anonymus Seguerianus; non Anaximenes, quem
Cornif. ignorasse videtur. 7. neque ante rem neque praeter rem.
bene Ernesti: 'neque praefationibus usi sumus, neque quicquam diximus,
quod non ad rem ipsam pertineret explicandam — hoc non assecuti sunt
qui dederunt 'post rem'. hoc est in $to\varphi vo^{23}v$, et ed. Mediol.

2 122, 5. ridiculam distinctionem 'ab E. sumere aut a Gr. ponere exemplum' paucissumorum codd. fide sustulimus; certe eo non defenditur, quod docemur et 'ponere exemplum' et 'sumere ex.' rectissume dici: id nemo dubitavit. 10. sic suo — abutatur. necessario haec inseruntur, alioquin quod per exemplum a lite petitum Cornif. probare volt, id huic ipsi exemplo probando adhibuerit. quae dedimus, ex laceris membris duorum potissumum codd. *tr* fuerunt elicienda adiectis 'sic' et 'qui suum.' 15. ac negent. volgo 'aut negent' quo mirificum dilemma existit, ut aut se omnibus praeferant, aut negent optuma esse ab aliis sumpta exempla. ea enim ipsa causa est, cur alienis non utantur, quod se omnibus praeferunt. videlicet alterum dilemmatis membrum, cui respondent verba 123, 3—5 'si quos — anteponant' excidit in plerisque libris, vestigium eius mansit in *2,l,c* 'aut si alia probant' unde fecimus: aut aliena probent. illud ac negent iam vides priori divisionis s. dilemmatis parti adiungendum fuisse mutanda particula.

3 123, 18. simile est ap. Cic. Brut. 185 'quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator — non adsequatur haec — artifex aliquis iudicabit' etc. adde 199.

124, 1. in arte maxume scribenda. vere Schütz: 'hoc 'maxime' male repetitum est e commate praecedente, neque h. l. sensum praebet.' item sensu caret et ante 'alienis' (6) qui enim hic loquuntur, solis alienis utuntur. ibidem quom praeceptiones sit in *πac*, suspicamur rationes adscriptum esse, nisi e contrario 'praeceptiones' adiectum alteri vocabulo. certe non sufficit ad tuendam volgatam comparatio loci similis II, 12 (38, 16) 'si ad hanc rationem praeceptionis adsiduitatem exercitationis adcommodassemus.' 8. nos sua auctoritate legendum esse iam Baiter coniecit. 11. inventores cf. not. ad 121, 3. —
4 13. rationem — cum ratione. ut est aput Cic. p. Quint. 92 'quod vitae ratio cum ratione decerneret, idcirco nobis etiam magis te iudice opus esse arbitrati sumus.'

125, 1. quom venerit cursum. vix opus laudari exemplum, quale Cic. Verr. II, 2. 124 'ad istum emptum venerunt locum illum senatorium.' 4. ex Euseb. chron. p. 43, Scal. ἱστ. συν. 335 apparet hic Boeotum Sicyonium dici. mire Lambinus de Boisco Thessalo et pugile cogitavit, quem Xenoph. Anab. V, 8, 23 commemorat; F. Ursinus vero vel de Boeo Heraclida. facessunt iam calcei quoque Sicyonii, quibuscum Ladas et Boeus cursitasse putabatur a viris doctissumis. 7. stadium rhetoricae artis. eadem translatio est ap. Cic. de or. I, 147.

5 126, 1. nam si — relinquetur. queritur Ernesti 'in hoc loco mirifice fluctuant libri, ut nil certi extricare liceat.' licet tamen, modo quid velit dicere scriptor, observemus; at socordia editorum accidit, ut nemo in 'eorum volumina' offenderet, nec deprehenderet veram lectionem olim in l^1 vo^2, nuper in *2,r* inventam 'tua volumina.' deinde nulla erat causa, cur reciperetur Turnebi coniectura 'de libris sustulerit' ab Ernesto, Orellio aliis, possessivum enim abesse nequit, et alterius quidem, non tertiae personae requiritur. postremo 'nihil tibi' ex dl^4, 'quod suum velint' ex ple-

risque duci potuit. plane sic Cic. loquitur Phil. X, 6 'hanc tibi consue-
tudinem plerisque in rebus bonis obtrectandi si quis detraxerit, quid tibi,
quod sibi quisque velit, non relinquetur?' 17. qui artem nescie- 6
runt. inde colligere aliquis possit arte non opus esse, nec exemplum
ipsum testabitur ex arte egregie illum scripsisse, unde petitum est.

127, 4. debebant rationem a se inventam demonstrare, qua in scri-
bendo utantur, at id non faciunt, demonstrant tantum, quam rationem alii
sequantur. 11. artificiosum egregie Schütz hic quoque a succes-
soribus neglectus invenit, nunc confirmatur codicis *h* auctoritate, ut scri-
ptoris usu, cf. 99, 13; 116, 5.

128, 3. aut de Pacuvianis nuntios. subscribimus sententiae 7
Orellii, cuius haec verba sunt in ed. altera 'memorabile illud 'nuntios'
(noverat ex solo p^1) quod esset τὰς τῶν ἀγγέλων καὶ ἐξαγγέλων ῥήσεις,
ac vide etiam atque etiam, ne hoc v. parum intellectum pepererit monstra
lectionum statim memoranda, inculcatum autem sit v. periodus, quia aptius
non succurrebat' etc. tamen istud 'periodos' frequenter memoratur ab recen-
tioribus Latinarum literarum scriptoribus, ut a Bernhardyo p. 366, sq. quamvis
minume Cornificianum sit pro continuatione. poematis. propter hanc
formam locus laudatur a Prisciano VII, 774. 8. propterea quod —
intellegemus. haec quae superioribus 'propterea quod — literatus' ad
amussim respondent, sententiamque habent commodissumam, pravo indi-
cio usus Schütz reiecit. 16. parere ut complura eius generis otiosum
lectorem, non ipsum scriptorem dilucidae brevitatis studiosissumum redolet.

129, 1. alienorum. non dubium, quin Cornif. sic, non 'aliorum' de-
derit. cf. 43, 1, ubi *h* 'alii' pro 'alieni' habet. 3. separatim h. e.
iam refutatis ipsorum adversariorum causis. 8. eorum ratio: non
enim proferri possent talia argumenta, ut §§ 1—3.

130, 4. de eloquentia Catonis conferendus maxume Cic. Brut. 63 sqq.
293 sqq. de Laelii Scipionis Galbae ib. 82 sqq. de Porcinae 95, 96; Ti.
Gracchi mentio fit ib. 104, 296 ac Plin. H. N. XIII, 12 narrat se utrius
que fratris libros aput poetam Pomponium Secundum vidisse. plerumque
solus Caius boni oratoris laude ornatur, cf. Br. 125. Antonium et Cras-
sum vide comparatos 139 sqq. 10. igitur nemo in hanc incideret 8
op. ut probes, particulam non repugnare sententiae loci, quod Ern. et
Schütz contenderunt, paululum immutabis verba e. g. sic: igitur debe-
bant ab uno exempla sumere, ne quis in hanc opinionem incideret. 'enim-
vero' et 'atqui' ab illis proposita revera sint contra mentem scriptoris.
16. 'denique' etsi a nonnullis codd. oblatum tamen non recipiendum fuit
a Schützio: solet enim illud a Cornif. in fine brevium membrorum poni,
deinde identidem adhiberi in enumeratione argumentorum aut praece-
ptorum ne ultumo quidem excepto; cf. II, 13, 14, 15.

131, 7. potest mercator, compendium ut faciat, mercem aliunde ro- 9
gare, quam amico vendat, artis scriptor sua afferre debet: quod si non
faciat, mercatori comparandus erit, qui mercis, quam venditat, exemplum
non ex sua apotheca, set ab aliis petat. vides accurate distingui ven
dentem a venditante, mercem consuetam ab aliena. ceterum breviloquen-

tiam huius auctoris dedecent addita 'mercem' et 'aliunde' suntque pro interpretamentis habenda. 12. si Triptolemus. hinc novae comparationis initium fieri vel tempus diversum ostendit, nec tamen quisquam separavit eam a superioribus ignota aut neglecta lectione codicis *e*: 'sic merc. ipsi quid venditant'.

132, 9. Cornif. pro lubitu membris suum artificem attribuit; ventrem et crura eo carentia donavit Graevius Phidia, Oudendorpius Myc. at in ipso 'et crura' latere videtur plastae nomen: Cresilaeum (ut 'es' in u, 'il' in r, 'et' in 'eum non sine exemplo transierit, lectumque fuerit olim 'crura et'): sic quem Plinio Ross. Pausaniae Bergk restituit, Cornificio nos red-
10 diderimus. 12. ne possunt quidem — propria. hoc si reputasset Quint. IX, 3, 69 sq. a vituperatione Cornificii abstinuisset. 14. idem ait Cic. de or. II, 177 'tractatio varia esse debet, ne — cognoscat artem, qui audiat'. 18. ne ars adpareat. Hermog. 147, 2 laudat Demosthenem ut δεινὸν — ἀεὶ σοφίσασθαι τὰς τέχνας καὶ ἀποκρύπτειν. 17. apodosis sententiam superioris enuntiati 'quod in dicendo — tangitur' accuratius expressam iterat. ibi et volgo lectum antithesin obscurat atque adeo tollit, quapropter at scripsimus.

133, 2. nomina rerum h. e. ὀνόματα τεχνικά, maxume schematum appellationes: haec nomina C. primus convertit, primus igitur Latine de hac parte rhetoricae commentatus est. 16. primum — debeat. prior
11 pars §§ 11—16 tractatur, posterior §§ 17 sqq. — 17. sunt igitur tria genera. eadem inveniuntur ap. Cic. Or. 69 quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo: in quo uno vis oratoris est. adde his de or. III, 199, 212. Part. 19.

134, 3. levem constructionem in figura gravi non putabant ferendam esse correctores, a quibus codd. *cb* profecti sunt; dederunt 'magna et ornata constr.' probatumque hoc est ab Ern. et Sch.: ille male negat, de compositione verborum ea, ex qua laevitas orationis nascatur, hic sermonem esse: debuerat docere, quid esset 'magna constructio' hoc enim unquam ita usurpatum fuisse, ut splendida et magnifica significaretur compositio, vix credibile est. verborum gravium. de narratione agens An. Seg. 439. 19 μεγαλοπρεπῆ δὲ ποιήσεις τὴν διήγησιν ψιλῇ φράσει
12 καὶ διηρημένῃ: immo ὑψηλῇ καὶ διηρμένῃ. 17. ingenuom. de veritate huius lectionis vide notata ad II, 49 (78, 6) 'quom dicimus maius esse maleficium stuprare ingenuom quam sacrum legere'. qui ingenuam stuprasset, nil nisi poenam X millium aeris subibat, cf. Quint. decl. 370. de vi nominis 'materfamilias' quod non ubique 'nuptam' significat, vide Papinian. Dig. XLVIII, 5, 10; Ulpian. L, 16, 46. volgo legebatur 'qui violassent ingenuam matrem familias constuprassent pulsassent aliquem aut postremo necassent' at primae fam. codd. 'violassent aliquem' habent, quo excluditur idem verbum supra lectum: praeterea cod. *μ*: 'matremfam. aut constupr.' hinc, restituto vocabulorum ordine, scriptori suum reddidisse nobis videmur. coniunctio ingenuorum et matrumfamilias iteratur statim 135, 11.

135, 2. poenam reliquerunt h. e. omiserunt, cf. Cic. p. Mur.

27 'in omni iure civili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt'. minus recte interpretatur Orelli: 'posteris eam excogitandam siverunt'. volgo legebatur 'p. non rel.' ut necessario per interrogationem haec proferenda essent, sensu valde contorto. Schütz autem omissa interrogatione contra usum Latinitatis hanc sententiam inesse putat: quoniam in proditores satis idonea poena non possit excogitari, propterea maiores singularem poenam huic facinori non reliquisse: causa sane haec vera est, cf. Lycurg. 9 Cic. p. S. Rosc. 70. totius exempli sententia invenitur ap. Cic. p. Mur. 80: 'inita sunt in hac civitate consilia, iudices, urbis delendae, civium trucidandorum, nominis Romani extinguendi: atque haec cives, cives inquam, si eos hoc nomine appellari fas est, de patria sua et cogitant et cogitaverunt'. 5. univorsis civibus cf. II. 48, ubi secundo in loco quaeritur, utrum 'res, de quibus criminamur, ad omnis pertineant, an ad superiores' etc.

136, 2. exemplum mediocris figurae petitum esse videtur ex accusa- 13
tione Varii Hybridae, cf. Appian. b. c. I, 37. — 5. norant a Schützio recte scriptum est, praeterito enim est opus, ubi de tempore ante exortam sociorum defectionem agitur, quo existumare poterant, quid populus Romanus posset. 13. pertineat noli referre ad sociorum deliberationem; potest in universum significari quidquid ad bellum gerendum requiritur. 17. isti dedimus pro 'illi' optumorum codd. vide 137, 1.

137, 1. de excisis a. u. 628 Fregellis cf. Liv. Epit. 60. Vell. II, 6. 9. aliquid fuisse necesse est ut videlicet potentes cives Romani eorum defectioni praefuerint. cf. infra 140, 2. 14. syntaxis 'visum est 14
ut' comparetur cum 'placitum est, ut' II, 1 (27, 6). 15. ecce tibi iste cf. laudatum ab Halmio Cic. p. Sest. 89. de off. III, 83. — 16. satisfacias oportet. Schütz: 'recte adolescenti stuprum minatur, notum est enim, constuprationes masculorum nonnumquam ulciscendi causa factas esse'.

138, 2. rabulae, quod nobis sub levi codd. optumorum *hp* corruptela 'fabulae' latere visum est, vix necessarium confirmare locis ut Cic. de or. I, 202, Or. 47, Quint. XII, 9, 12: 'a viro bono in rabulam latratoremque convertitur'. 3. impurus homo puerum honestissumum turpi convitio violat: cinaedum esse muliebri appellatione (acerva hp^1, exercitata $h\mu^1 a$) significat: inde suspicati sumus legendum esse 'ista p. est atque proterva'. vix enim quidquam praeterea subesse credibile vocabulo 'acerva' pro quo 'acerba' scripsimus, ut Latina saltem vox relinqueretur; nunc paenitet nos non ipsum hoc 'proterva' intulisse. solarium tractavit Victor. Lect. XXI, 13 ubi affert locum appositum, Cic. p. Quint. 59 'vixit enim semper inculte atque horride — non ad solarium non in campo non in conviviis vorsatus est.' obscoenum sensum, quem habet h. l. 'exercitata' exempla illustrent Catull. LXI, 235 et Cic. Cat. II, 9. ex quo loco etiam verborum 'pone scenam' explicatio petenda: 'nemo (est) in scena levior et nequior, qui se non eiusdem (Cat.) prope sodalem fuisse conmemoret'. nimirum contemptissumi sunt histrionum amores. 9. aliena plane ab ingenio scriptoris admonitio, ex ipsis exemplis 15

genera figurarum intelligi posse; alteram adnotationem 'erit enim — mediocritate' iam Schütz glossatori tribuit. 15. Cornificius diserte voluit pronuntiare laudabilem figuram orationis non facile distingui ab improbanda, quare nolim in suspitionem vocare verba quae laudanda est — quae fugienda cum Ern. et Sch. ad rem quod attinet vide Aristot. Rhet. III, 3, 3. Senec. Contr. III, prooem. 199, Bip. Quint. VIII, pr. 3. Demetr. IX, 52, 82.

139, 1. sufflata legendum esse etiam Vict. coniecit, inferiora comparans, ubi agitur de oratione, quae turget et inflata est. 4. de genere novorum priscorum translatorum verborum cf. Cic. Part. 17, de or. III, 153, 201, or. 80. — 7. hic Ern. salsas lacunas aput Lucr. III, 1014 laudat. Cornif. si recentiore saeculo vixisset, potuisset aptissumis exemplis turgidae orationis uti compluribus Pseudociceronianis, ut de dom. 124: 'cur ille gurges heluatus tecum simul rei publicae sanguinem ad coelum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarii'? 8. paeniteat recte videtur Ern. ex ed. 1471 dedisse, cum expl. 'vult dicere, ut e praecedentibus patet: poenas det, ut eum poeniteat'. 10. et specie. hinc demum apodosis initium suum capit; si statuamus iam a verbis et ab eo, quo profecti sunt, aberraverunt illam inchoari, eandem
16 habebit sententiam atque protasis. 13. quod appellamus dissolutum sufficit una appellatio, ut ceterorum vitiorum; 'fluctuans' fortasse accessit ex Cic. Or. 198 'in dicendo autem nihil est propositum nisi ut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio': inde natum ineptissumum emblema 'ut hoc modo — illuc; huic tamen maluit Orelli parcere quam tolerabiliori additamento 'fluctuans et'.

140, 6. diffluit. scilicet, ut ait Cic. Or. 77 'solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare'.
9. aridum Demetrio IX, 100 est ξηρόν. exempla iterum petantur ex Pseudociceronianis, ut pro dom. 37 'quae maior calumnia est quam venire inberbem adolescentulum bene valentem ac maritum: dicere filium senatorem p. R. sibi velle adoptare: 'id autem scire et videre omnes, non ut ille filius instituatur, set ut e patriciis exeat et tribunus plebis fieri possit, idcirco adoptari' hic sane valet indicium Cornificianum: 'frivolus hic quidem iam et inliberalis est sermo'. 19. simile est Aristotelis praeceptum Rh. III, 2, 5.

141, 2. cf. Anax. 47, 24 χρὴ δὲ τούτων κατὰ πάντα τὰ μέρη συγκαταλέγειν (συχνὰ ἐκλέγειν?) διαλλάττοντα τοὺς λόγους καὶ μηδέ-
17 ποτε ὅμοια εἰς τὸ αὐτὸ πολλὰ τιθέναι. 5. ad modum oratoris diversus enim oratoris et poetae modus, cf. Cic. de or. III, 153. — 6. elegantiam et dignitatem Cic. coniungit Part. 16 simplicibus verbis eas virtutes tribuens, compositionem separans, quae adhibetur coniunctis. simplicia autem ei sunt partim nativa, (hic elegantia) partim reperta sive tractata, quae ad dignitatem pertinent. adde Quint. VIII, 1, 1. — 7. eadem fere sunt ap. Cic. Or. 79 'sermo purus erit et Latinus dilucideque planeque dicetur'. plura vide de or. III, 49. — 9. Latinitas quae fuerit in Scauro Antonio Crasso Caesare narrat Cic. Brut. 135, 140,

143, 262. — 12. soloecismum descriptum vide Cic. Part. 18, Anaxim.
51, 9. 13. ex optumorum librorum *hpπ* 'superius' lectione nunc co-
nicimus 'ad superius' fuisse ab auctore scriptum. — 15. hinc liquet, de
arte grammatica librum edere voluisse Cornificium; non consequitur, quod
nuper van Hensde statuit, Aelium Stilonem horum Rhetoricorum esse au-
ctorem. 17. usitatis verbis et propriis iam Anaxim. praecipit
51, 3: *πρῶτον μὲν οὖν ὀνόμαζε τοῖς οἰκείοις ὀνόμασιν ὅ τι ἂν λέγῃς,
διαφεύγων τὸ ἀμφίβολον.* deinde Cic. Or. 80 simplex (ornatus verbo-
rum) probatur in propriis usitatisque verbis, quod aut optume sonant aut
rem maxume explanant' contra idem, ubi de gravi orationis figura agit
Part. 54: 'augent etiam relata verba iterata duplicata — omninoque sem-
per [quasi naturalis et] non explanata oratio, set gravibus referta verbis
ad augendum adcommodatior'. inclusi verba, quae explicant, quid sit
'explanata'. 21. de constructione verborum brevissumi sunt Anaximenes 18
et Cornificius, eo plura profert Cic. de or. III, 171 sqq. Or. 140 sqq.

142, 1. hiatus vitandi praeceptum habet Anax. 51, 4, etiam 49, 12;
tangit Cic. Part. 21. — 3. bene correxit Halm. aeriae 'h. e. bacae in
aere pendentes'. 15. verborum transiectionem etiam Anaxim. vi-
tandam censet 51, 7.

143, 2. Lachmann ind. lect. univ. Berol. 1849, p. 5 scribit 'in pri-
more libro: has, Aeli, res ad te scriptas misimu' Luci'. de eodem hoc
loco Gerlach egit Prolegg. ad Lucil. p. XXXV. — 4. item — conti-
nuationem. cf. Cic. Part. 21, qui in suavi dicendi genere postulat
coniunctionem 'quae sit circumscripta non longo anfractu, set ad spiritum
vocis apto'. 8. dignitas — dividitur similiter Cic. Inv. II, 49
'omnia quae in inventione verborum et sententiarum aliquid habent digni-
tatis, in communis locos conferuntur'. eodem spectant de or. II, 36, Brut.
69, 141, 275. — 13. Schütz deprehendit lacunam h. l. quaedam exci-
disse monens, 'quibus transitus ad singulas verborum exornationes conti-
nebatur'. fortasse: 'de verborum exornationibus primum dicemus' cft. c.
34 extr. (178, 13) 14. repetitio Graecis rhetoribus, Alexandro VIII, 446, 19
Tiberio 558, Phoebammoni al. *ἐπαναφορὰ* dicta describitur a Cic. de or.
III, 206, ubi inter figuras comparet 'eiusdem verbi crebra — a primo re-
petitio'; Part. 21 'relataque ad idem verbum ponantur'; Or. 135 'ab eodem
verbo ducitur saepius oratio'; a Quint. IX, 3, 30: 'ab isdem verbis plura
acriter et instanter incipiunt'. Rutilii Lupi verba I, 6 ita legerim: 'epi-
bole. hoc schema dupliciter fieri consuevit. quom pluribus similibus aut
diversis sententiis unum et idem verbum singulis praeponitur aut varietas
verborum, quae tamen eandem vim inter se habent' (*τὸ ἰσοδυναμοῦν*, ut
est aput Alexandrum l. c.). adieci 'similibus aut' videtur enim idem dici
quod a nostro vs. 15 'in rebus similibus et diversis'. 15. res divor-
sae hic sunt idem ac contrariae. 20. tu — conaris. plane sic De-
mosth. LVI, 1. exempla repetitionis passim inveniuntur, cf. Dem. IV,
41, VIII, 65, IX, 66; ap. Cic. cum homoeoteleuto Verr. II, 5, 58 cum ex-
peditione p. Coel. 53 sq. cum conformatione Cat. IV, 18; figuram resti-
tui or. p. Caec. 65, cf. supra ad 40, 9.

144, 9. conversio. sic etiam Cic. de or. III, 205 appellatur 'eiusdem verbi in extremum conversio'. Graeci plerique nominant ἀντιστροφήν, Tiberius 560, Herodianus 598, Hermog. π. ἰδ. 285 (laudat ibi Dem. I, 4, 11; XIX, 198); at Rutil. Lup. I, 7 epiphoram, Demetrius IX, 110 ἀναφοράν. Quint. IX, 3, 30 exemplum Cic. p. Mil. 59 affert; poterat aptius Phil. I, 24: 'de exilio reducti a mortuo, civitas data — a mortuo — sublata vectigalia a mortuo'. cum contentione iungitur Ph. V, 4. Demosthenica vide I, 11, II, 29, III, 19, VIII, 66, XVIII, 199. — 14. Laelium hominem novum fuisse constat, maleque videtur Lambinus, cui tamen omnes editores auscultaverunt, navus scripsisse: si at, quod facillime, ut 124, 2 excidit, mecum inseras post erat, sententia existat aliquanto melior. — 15. studiis amicus dictum est, ut IV, 25 'qui suis rationibus inimicus fuerit semper'. — 16. ut apsolvant rogas. sic accusativus etiam IV, 48 deest 'veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudeles existumaremini'. locus libere translatus est ex Aeschine III, 198: ὅστις δ᾽ ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ τὴν ψῆφον αἰτεῖ, ὅρκον αἰτεῖ, νόμον αἰτεῖ, δημοκρατίαν αἰτεῖ, simile etiam, quod ibi statim legitur 202. — 19. complexio significatur a Cic. Or. 135 'aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio aut in idem conicitur aut utrumque. quia 'utramque complectitur exornationem' h. e. repetitionem et conversionem appellatur coenotes ap. Rut. Lup. I, 8, nec aliud significat nomen latinum, et alterum Graecum symploce, cf. Tib. IX, 465, Zon. 682 anonym. 707. — 21. idem verbum, omisso, quod volgo legebatur, 'primum' recte habet, iam enim satis liquet, quid significet 'repetitio'. Quint. exemplum affert ex Miloniana (59) IX, 3, 31, atque id quidem ut conversionem demonstret, deinde addit: quamquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius et initia inter se et fines iidem sunt — quale est 'qui sunt, qui foedera saepe ruperunt' etc. de hac citatione nostri loci cf. Praefationem cap. 1. Rutil. Lup. l. c. exemplum servavit Stratoclis, aput Ciceronem compares de leg. agr. II, 22, p. Q. Rosc. 12.

145, 9. traductio duplex est, vocabulo quodam aut sic iterato, ut maneat notio, aut sic, ut diversa intellegenda sit altero loco. illam indicat Cic. de or. III, 206: 'eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio' or. 135: 'adiungitur idem iteratum'. praeclarum eius exemplum pete a Cic. p. Mil. 31. putidum est p. dom. 68. alterius traductionis multa sunt nomina aput rhetores Graecos: ἀντιμετάθεσιν sive σύγχρησιν sive πλοκὴν appellat Alexander VIII, 479; diaphoram Rutil. I, 11, Iul. Rufinianus ἀντίστασιν (p. 43 ed. Capperon.). Cic. Or. 135 describit eam sic: 'continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur' Quint. IX, 3, 68 coniungit cum adnominatione IX, 3, 68 (quo de loco egimus in Praef.) egregie usurpavit Isocr. VIII, 101 πολὺ ἂν τις ἀληθέστερα τυγχάνοι λέγων, εἰ φαίη τότε τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς (Spartanis) γεγενῆσθαι τῶν συμφορῶν, ὅτε τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης παρελάμβανον. Demosthenica exempla sunt IX, 17, 18, XVIII, 289, laudata ab Hermog. π. ἰδ. 326, Ciceroniana Verr. II, 3, 105; 2, 155, p. Mur. 8. Phil. III, 27, V, 20.

146, 9. contentio tractatur a Quint. IX, 3, 81: 'contrapositum — vel ut quidam vocant, contentio (*ἀντίθετον* dicitur) non uno fit modo: nam et — singula singulis opponuntur — et bina binis — et sententiae sententiis' omisimus apposita exempla ex Cluent. 15, 4, 5. ipse Cic. de antithetis loquitur saepius: Or. 65, 135 et 167, ubi sua citat ex Verr. II, 4, 115 'conferte hanc pacem cum illo bello' etc. in Part. 21, ni fallimur, scripsit: 'ex contrario sumpta verba crebro contrariis paria paribus respondeant'. imperfecta est contentio ap. Antiph. Tetral. I, γ, 3 *τοὺς μὲν γὰρ ὅ τε φόβος ἥ τε ἀδικία ἱκανὴ ἦν παῦσαι .... τῆς προμηθίας, τοῖς δὲ ὅ τε κίνδυνος ἥ τε αἰσχύνη — ἀρκοῦσα ἦν σωφρονίσαι τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης*, explebitur inserto *τὸ δεδιὸς* s. *τὸ δεδοικὸς* (cf. Thucyd. I, 36) ante *τῆς προμ.* praeterea scr. *τοῖς μὲν.* — 20. exclama- 22
tio in enumeratione ponitur a Cic. de or. III, 207, idem ait Or. 135 'si est aliqua exclamatio vel admirationis vel conquestionis' reprehenditurque a Quint. IX, 3, 97. quod inter figuras verborum exclamationem commemoraverit, quam sententiae potius esse ipse putat. 'affectus enim est'. pluribus de apostropha agit IX, 2, 38, adhibitis ex Cic. p. Lig. 9. p. Mil. 85. Verr. II, 5, 163. similiter Hermogenes *σχετλιαστικὸν λόγον* tractat *π. ἰδ.* 336, exemplis usus Dem. XIX, 113, XXII, 78, XXIII, 210, quibus addimus Aesch. III, 137, 260.

147, 6. bonorum latrocinia fecimus *ἀποστροφήν*, quae adhuc addito 'insidiatores' et correctione 'latrocinio' multum vehementiae amiserat. structuram quod attinet, cf. Cic. ad Qu. fr. I, 1, 8 'sublata Mysiae latrocinia' et ibidem 'oppidorum — latrocinia' quod vocabuli notionem, p. S. Rosc. 61 'confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum'. nostro loco quadruplatores, non iudices, appellantur latrocinia; ideoque suspiceris, his potius infirmitatem quam iniquitatem tribuisse scriptorem. 9. si loco utemur quid sit, explicatur verbis quom — videtur, igitur non opus etiam alio interpretamento 'raro', atque interpellat moleste epexegesin cum illa voce coniunctam. ceterum cf. IV, 49 'haec res, si loco fit' etc. 11. interrogatio. Cic. Or. 137 inter sententiarum ornamenta praecipit, 'ut interrogando urgeat' etiam Quint. IX, 3, 98 interrogationem ut ratiocinationem (23) subiectionem (33) transitionem (35) occultationem (37) a Cornificio dissentiens alterius generis h. e. sententiae schema esse contendit. Anaxim. 46, 18 eam *παλιλλογίᾳ* subiungit appellatam *ἐξ ἐπερωτήσεως*. Hermog. Prog. 18 *ἐλεγκτικὸν* appellat, *π. ἰδ.* 241, 19 illustrat verba Cornificii quae — orationem *καὶ ἡ ἐρώτησις δὲ [ἡ] τοῦ ὑποκειμένου προσώπου ἀποστροφή ἐστι καὶ ἔχει πρὸς τῇ σφοδρότητι καὶ ἐλεγκτικόν τι· διὸ καὶ τὰ τοιαῦτα σχήματα ἐπὶ τῶν οὐκ ἐπιδεχομένων ἀντίρρησιν παραλαμβάνεται*, deinde affert Dem. XVIII, 63. cf. etiam Demetr. 114. de innumeris exemplis iuvabit inspicere Isaeum VI, 25, Dem. XXIV, 98 sq. Lycurg. 77 sq. Cic. p. Cael. 33 sq. — 16. et utrum — an non. haec petita sunt ex Dem. XVIII, 71; ex eadem parte etiam superior interrogatio fluxit, quam noli ab hac inferiore tamquam diversam distinguere. 16. legatur istaec. 18. ratiocinatio. Cic. Part. 47 23

'est etiam illa varietas in argumentando et non iniucunda distinctio, ut quom interrogamus nosmet ipsos aut percontamur'. adde de or. III, 207, Or. 137. aetiologia appellatur ab Aristide IX, 347, Alexandro VIII, 438; plane alius generis est figura cognominis ap. Rutil. Lup. II, 19. describitur et ad *εὐκρίνειαν* refertur ap. Hermog. 215, 10. exempla vide ap. Dem. IX, 36 sq. XXIII, 54, q. l. laudat Alex. l. c., Cic. in Pis. 65.

148, 2. M. Porc. Catonis haec sententia fuit, qui teste Quint. V, 11, 39 'nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit' ap. Senec. Contr. III, 18 (p. 226 ed. Bip.) 'coniecturalis est controversia inter duo crimina, quom alterum probamus, ut id alterius fiat probatio, tamquam quom dicimus adulteram fuisse, ut credatur etiam propter hoc venefica'. 7. virum parentem cf. Tac. Ann. XIII, 32 'prisco instituto propinquis coram de capite famaque coniugis cognovit et insontem nuntiavit'. tali iudicio matrem interfuisse non credibile, qua re ex cod. *c* 'parentem' recepi. 10. ad sententiam comparetur Lys. ap. Stob. LXVIII, 32.

149, 1. hanc rationem Cn. Pompeius quoque in restituendo Tigrane
24 secutus est, cf. Cic. p. Sest. 58. — 18. de sententia iterum dissentit Quint. IX, 3, 98 negat enim plane schematibus accensenda sententiam membrum articulum interpretationem conclusionem. de definitione *γνώμης* convenit inter Aristotelem Rhet. II, 21, 1 et Hermogenem Prog. I, 24. ille adiecta ratione *ἐνθύμημα* ait effici itaque distinguit sententias *ἢ μετ' ἐπιλόγου ἢ ἄνευ ἐπιλόγου* (l. c. § 3); Herm. quoque dividit sent. *ἁπλᾶς* et *διεζευγμένας* (l. c. 25) similis Anaximenis distributio 34, 18 *δύο δὲ τρόποι τῶν γνωμῶν εἰσίν, ὁ μὲν ἔνδοξος, ὁ δὲ παράδοξος*. illis rationes (*αἰτίας*) addere non necesse, his autem propositis *χρὴ φράζειν τὰς αἰτίας συντόμως* cf. etiam, quae Seneca de Porcio Latrone narrat Contr. I, prooem. p. 68 ed. Bip. 20. primum virtutes revereri cf. III, 1, 33 (81, 12; 114, 2) ne cum Ranconeto et Lambino plurumum legendum esse putes. vidit iam Gruterus.

150, 11. devolant sic Cic. p. Quint. 93 'fatetur se non — posse — ab adflicta amicitia transfugere atque ad florentem aliam devolare'. 13. quae dupliciter ecferuntur. significatur non rationis subiectio, set diversa eiusdem sententiae pronuntiatio. exemplo sit Dem. XXI, 101, ubi sententia prius simpliciter proponitur *ἐγὼ γὰρ — πράττουσιν* — deinde dupliciter: *οἷον — ὑπάρχειν*. sententia scriptoris non intellecta est ab iis, qui in $a^2 l^3$cpal^{13}vo^2 adscripserunt 'sine ratione et cum ratione', unde fluxit hoc emblema in ed. Ern. quae praeterea esset ineptissuma
25 iteratio superiorum (vs. 6), defendit tamen Ern. 21. propter formam maturissuma Prisc. haec laudat l. c.

151, 1. facit huc Aristot. Rh. II, 21, 15: *χαίρουσι δὲ καθόλου λεγομένου, ὃ κατὰ μέρος προϋπολαμβάνοντες τυγχάνουσι*. 4. contrarium — contentio est annotatio indocti lectoris; contentio enim magnopere a contrario differt. adscribit Halm: 'notabile est, titulum figurae, qui in codice *V*(*h*) numquam omittitur h. l. deesse, unde etiam verisimilius fit vv. 'contrarium idem' etc. glossema esse.' de contrario quod

idem est cum tertio conclusionis modo cf. Cic. Top. 55 'ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quae ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, set — quia videtur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutissuma, sola proprie nomen commune possedit'. eo respiciens Quint. V, 10, 2 et simul ad hunc locum 'plures' ait 'invenies in ea opinione, ut id demum, quod pugna constat, enthymema accipi velint, et ideo illud Cornificius contrarium appellat'. idem IX, 2, 106 Graeco nomine hanc figuram appellat *ἐναντιότητα*, unde sint *ἐνθυμήματα κατ' αἰτίασιν* (fo: *ἐναντίωσιν*). ab Aristotele Rhet. II, 23, 4 hic locus dicitur *ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον* eiusdem generis sunt, quae Minucianus IX, 608 *ἐπιχειρήματα ἀπ' ἐλάττονος — ἀπὸ μείζονος* nominat. ab Anaximene modo *τεκμήριον* (33, 15) modo *ἐνθύμημα* (33, 24) haec ex contrario argumentatio vocatur. cf. laudatos a Spengel. l. c. Antiph. VI, 27; Lys. IV, 12; Dem. XLIX, 58; et praeterea Isocr. XVII, 50. XVIII, 30 sqq.; Isaeum I passim, V, 34, 38; Andocid. I, 102, Lycurg. 71, 123; Aeschin. I, 85, 108, III, 78; Dem. II, 24, 26, VIII, 20, 41, IX, 13, XX, 8, 9, 12, 63, 86, 111, 135, XXXIV, 25—28, 45—48; Hyperid. p. Lycophr. col. 15. Cic. p. Balb. 54, p. Flacc. 9. 40. p. Cael. 78. p. Sest. 81, 83, 84, 90. — 10. cognoscentem sui fore. sic Quintio trib. pl. magna 'ignorantia sui' tribuitur a Cic. p. Cluent. 109.

152, 10. membrum (*κῶλον*), articulus (*κόμμα*) continuatio (*περίο-* 26
δος) diverso ordine significantur a Cic. Part. 19 'dilucidum fit usitatis verbis propriis (sc. 'et pr.') dispositis aut circumscriptione conclusa aut intermissione aut concisione' hic intermissione membrum, concisione articulus appellatur. quando membris, quando continuationibus utendum sit, docet Hermog. *π. εὑρ.* 145, 8. articulos h. e. *κόμματα* tribuit *σφοδρότητι*, nominans etiam *τὸ κατ' ὄνομα κομματικόν*, quale sit Dem. I, 9 (ubi *Ἀμφίπολιν* memoria lapsus addit) et *τὰς πυκνὰς καὶ δι' ἐλαχίστου ἐξαλλαγάς*. cf. praeterea, quae de Crasso membra saepius quam continuationes adhibente narrantur a Cic. Brut. 162, et Senec. Contr. IV, 25 (285 ed. Bip.). — 15. solis feliciter haesit ap. Rufinum p. 194 ed. Or. contortum enim sensum habet suis codd. lectio.

153, 4. quod illud tardius maluit Ern. scribere, quia 'forma ea vulgatior nostro' esset: errore scilicet ex deterioribus libris ducto, qui compluribus locis addunt particulam, cf. 11, 5; 129, 12; 195, 2. — 6. gladium servatum cod. *e* tractatur a Varr. L. L. VIII, 49. habet Lucil. ap. Non. III, 106. (ed. Gerl. p. 88, n. 52) — 9. continuatio a Cic. 27
plerumque conprehensio dicitur, ut Brut. 274, 317, 320, 325, 327.

154, 3. comparibus ut similiter cadentibus contentioni conduplicationi (38) circuitioni (44) locum praecipuum Cic. tribuit in laudando et vituperando Part. 72, Or. 38, 84. appellatur compar ab Aristot. Rhet. III, 9, 9 Anaximene 52, 56 Tiber. VIII, 561, Alex. 484 (*πάρισον*) *παρίσωσις*, a Quint. IX, 3, 80 *ἰσόκωλον*, ut a Rutil. Lup. II, 15, Aquil. Rom. II, 2. quo modo Demosth. comparium fastidium vitet, pluribus docet Hermog. *π. ἰδ.* 281, 18; idem monet *π. ἰδ.* 279, 14 talibus proprie *κάλλος* ora-

tioni conciliari *περὶ οὗ καὶ Ἰσοκράτης φησίν, ὅτι τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ποιεῖ περὶ παρισώσεων καὶ τοιούτων τινῶν λέγων [ταῦτ' εἴρηκεν ἐν Παναθηναικῷ]*: ultuma quattuor verba ab Hermogene aliena esse videntur. exempla aput Isocratem plurima inveniuntur, cuius paene tota or. XXI ex comparibus est composita, ut iam Philostr. animadvertit V. S. 214, 20. Demosth. vide VIII, 33, XXII, 1,
28 Aesch. III, 94, Cic. p. Caec. 1, quem locum laudat Quint. l. c. — 14. aut si quom in altero plures sunt volgo legebatur, male adhibita disiunctione eorum, quae non nisi coniuncta esse possunt: necessario in altero membro plures syllabae sunt, quom alterum brevius est, nec compar ad speciem nascitur, nisi illud brevius longitudine saltem aut plenitudine praestet; quare 'aut si' et 'sunt' delenda fuere. observatio eadem est Anaximenis 52, 27: *εἴη δ' ἂν ἴσα καὶ πολλὰ μικρὰ ὀλίγοις μεγάλοις καὶ ἴσα τὸ μέγεθος ἴσοις τὸν ἀριθμόν.* 18. similiter cadens s. homoeoptoton vide ap. Rutil. Lup. II, 13, qui tamen exemplum homoeoteleuti ex Sosicrate iam in hoc capite affert, Aquil. Rom. II, 4; Alexandr. VIII, 476, et Tib. 562, qui exemplum Isocr. citat IV, 186. saepius etiam repetitur eadem terminatio in VI, 75, ubi pro *μηδεμιᾷ πολιτείᾳ τεταγμένῃ χρώμενον* legerimus *μ. στρατείᾳ τ. χρ.* utrumque genus sim. cad. et sim. des. complectuntur Aristotel. Rh. III, 9 et Anaxim. 53, 5 *παρομοιώσεως* nomine, etiam Cic. de iis coniunctim agit Or. 38, adde 135, de or. III, 206, plura praebet Quint. IX, 3, 75—79.
29 155, 18. adnominatio. haec plerisque est *παρονομασία*: Alexandro VIII, 477, Tiberio 556, Herodiano 595, Rutilio Lupo I, 3, Iul. Rufiniano II, 15, at Aquilae Romano paronymia. (?) Aristot. Rhet. III, 6 appellat *τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα*, Cic. or. 84 laudat 'inmutatione literae quaesitas venustates'.

156, 2. attenuatione aut conplexione eiusdem literae. attenuatio est cum brevitate idem, ita tamen, ut in flexione tantum inveniatur: complexionem dicit, quam Graeci *συναλοιφήν*, cuius exemplum, set non in eadem litera usurpatae, Quint. I, 5, 17 profert ex Varrone Atacino. nostro loco 'venit' ex veniit contractum praecedit tenue alterum 'venit', deinde a tenui 'vincit' ex contrario ad plenius 'vincīt' proceditur, natum ex diducta forma vinciit. eadem relatio, quae est inter complexionem et attenuationem, obtinere debet inter productionem et brevitatem, neque scriptorem credibile membra cohaerentia sic disiecisse, ut volgo sunt: ac quia a brevi litera ad productam (ăvium — āvium) deinde a producta ad brevem (cūriam— Cŭriam) transitum facit, supplendum 'ex contrario' fuit, quod supra legitur vs. 4: productionis et correptionis exemplum est ap. Quint. VII, 9, 13. — 9. addendis literis ut Cic. p. Cael. 15, 77. Verr. II, 1, 2. — 10. demendis. ut Aesch. III, 78. num addiderit ipse scriptor 'nunc', quod in notis reliquimus, non liquet. 11. transferendis ut Aristoph. Th. 1215.

157, 2. conmutandis. sic Cic. Verr. II, 5, 26. lectio codd. alterius fam. 'a quo velis diligier' improbanda est, quia non subsistit in commutatione literarum e et i, set addit inflexionem eius generis, quod in

sequentibus demum tractatur. 8. qua re veniam recte iam Hase ad 30
Reisig. de gr. lat. p. 693 notavit. 10. adfectata dedimus pro 'adfe-
ctanda' eo sensu, quo vocabulum est ap. Quint. XII, 10: 'dandum putant
non nihil esse temporibus atque auribus nitidius aliquid atque affectatius
postulantibus' cf. etiam Cic. de or. III, 168. huius remotioris similitu-
dinis exempla vide Cic. Verr. II, 5, 59 et 84. — 12. hoc exemplum
'demus — putentur' valde vituperatur a Quint. IX, 3, 71 sq., qui,
opinor, non Crasso ea verba tribuit, ut Ellendt ap. Dübner Or. Rom. fr. p.
264. — 17. quod vorsatur in casuum conmutatione est Cic. de
or. III, 207 'quod in multis casibus ponitur', Quint. IX, 3, 36 'fit casibus
— hoc schema, quod πολύπτωτον vocatur'. eo nomine describitur ab
Hermog. π. ἰδ. 288, 23 ab Alex. VIII, 473, Herod. 598, Rutil. Lup. I,
9. Aquil. Rom. II, 15. eodem exemplo Dem. XVIII, 298 utuntur Hermog.
et Alex. ap. Cic. cf. maxume p. Quint. 94.

158, 1. deliberatio Alexandri, an Oceanum naviget, saepe a rhetori- 31
bus tractata est, vid. Senec. Suas. I, 1 (4 ed. Bip.) Contr. III, 22 extr.
5. in eo sc. in administrando. 8. de exitu Saturnini, Drusi, Sulpicii
cf. Vell. II, 12, 13, 19, Flor. III, 16.

159, 2. sententia eadem fere de his ornamentis redit ap. Cic. Or. 84, 32
de or. III, 98, 214, Senec. Suas. 7 (50 ed. Bip.) Quint. VIII, 3, 12.
Hermog. π. ἰδ. 283, 13. — 20. subiectio. nostri verba fortasse Ge- 33
org. Trapezunt. III, Rhet. p. 28 respicit, explicans sic eam figuram: 'est
argumentatio in qua quaerimus, quid pro adversario aut contra nos dici
possit, deinde per singulas interrogationes propere subicimus rationem,
qua id, quod dictum est, non ita esse ostendimus'. describitur, non ap-
pellatur a Cic. Or. 138 'sic dicet — ut saepe cum iis qui audiunt, non
numquam etiam cum advorsario deliberet' 'communicatio' est Quintiliano
IX, 2, 20; Graeci ὑποφορὰν s. ἀνθυποφοράν, quae nomina sine causa
distinguit Cur. Fortunat. p. 86: 'hypophora est intentio adversae partis
anthypophora responsio eius' nam res etiam in contrarium convertitur, ut
adversario tribuatur ὑποφορά, cui opponitur λύσις, cf. Hermog. π. εὑρ.
108, idem celeriter contra subiectiones adversariorum factas ἀπαντήσεις
in γοργότητος instrumentis ponit π. ἰδ. 296, 9, ubi contraria argumenta,
antequam prolata sunt ab adversariis, refelluntur. cognatum est genus, de
quo Isocrates XII, 111 et Anaximenes 41, 22 agunt, hic προκατάληψιν
nominat (Quintil. IV, I, 49 πρόληψιν.) cf. Spengel l. c. Tiberius VIII,
568 communem ὑποφορᾶς appellationem subiectioni et ratiocinationi attri-
buit. exempla invenies aput Andoc. I, 101. Lys. XXX, 26 Isae. V,
45 sqq. Dem. VIII, 17, Cic. p. Flacc. 4. p. Planc. 11. et Verr. II, 2,
166 ubi in extrema § legerim his cum Bakio. in or. p. Sest. 47 repe-
titur obiectio iam supra 43, 45 proposita, cum nova subiectione. 21.
ridicula est disiunctio: 'quod oportet aut non oportet'; hoc enim, quod
non oportet, subicere numquam non ineptum erit, notavimus igitur; prae-
terea 'quod' ante 'aut nobis a. f. sit' repetendum fuit vel rectae constru-
ctionis causa.

160, 5. praemium qualia commemorantur Cic. p. Cluent. 98, Iuv.

II, 110. — 10. aliqua ex honesta re cf. Lys. XXX, 1, et Dinarch. II, 8, qui locus etiam ad seqq. 'utrum ad patris virtutem confugiet' adhibendus est. 11. vitam in optumis libris post quam collocatum posuimus ante hoc pronomen, videtur enim volgaris lectio 'antiquam' ex hoc Ipso 'vitam quam' nata esse; praeterea 'vita honeste tractata' veremur ut Latine dici potuerit pro 'vita honeste transacta'. (cf. Sall. Cat. 2.) lectionem omnium codd. et veterum edd. 'nam hic quidem' etc. male mutavit Orelli, scribens 'at hic qu.' concinnitatis causa, invita plane sententia.

34 161, 9. quom quaesitum est — factum. huc refer Quint. IX, 2, 106 'Rutilius sive Gorgias (figuras putat) ἀνάμνησιν ἀνθυποφορὰν ἀντίρρησιν παραύξησιν προέκθεσιν, quod est dicere, quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit.' 12. loquitur C. Popillius, cuius causa narratur I, 25. — 14. prodirem lectionem cod. *t* praetulimus, ut servaretur concinnitas, nam cetera quoque verba, quibus de imperio suo loquitur, singularem habent: 'relinquerem — neglegerem — repudiarem', eadem de causa 16 ex uno *c* receptum est habebam.

162, 1. eos alterutrum a librariis profectum est. 7. gradatio est κλῖμαξ Alexandro VIII, 467, Tiberio 557, Herodiano 603, Aquilae II, 18, Iulio Rufiniano; Hermog. π. ἰδ. 286, 19 appellat τὸ κλιμακωτὸν σχῆμα, Rutil. I, 12 ἐπιπλοκήν. obiter tangitur figura a Cic. de or. III, 207; et Or. 135. (ubi legendum videtur 'quom gradatim sursum versus itur et reditur'.) porro Part. 54. 'augent etiam — quae ascendunt gradatim ab humilioribus ad superiora' cf. Schütz ad h. l. Aquila sua partim ex Demetr. IX, 111 repetiit: dedisse eum suspicor 'postremum quodque verbum in superiore (volgo: 'priore') membro aut parte aliqua elocutionis positum in inferiorem rursus assumptum inicitur'. descendit igitur ut Cornificius et Quintilianus IX, 3, 54; ceteri ascendunt. Quint. l. c., ut Demetrius Hermogenes Aquila et alii Demosthenicum exemplum XVIII, 179 afferunt, Aquila praeterea Cic. p. Mil. 61 et verba Licinii Calvi in Vatinium; Isid. Orig. II, 21, 4 duo fragmenta ex oratione Scip. Afric. minoris; iis accedat Dinarchus I, 82: ἐν μὲν ταῖς παρατάξεσιν οἰκουρός, ἐν δὲ τοῖς οἴκοι μένουσι πρεσβευτής. ἐν δὲ τοῖς πρεσβευταῖς δραπετής ἐστιν: non sine figurae damno ibi transposueris, quod Sauppe suadet, οἰκουρὸς et δραπετής. 12. exemplum Demosth. l. c. magis imitatus est scriptor quam expressit. 14. de his eodem ordine repetitis
35 a Quint. egimus in Praef. I. — 22. definitio. Quintiliano haec est 'finitio' IX, 3, 91: 'quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo dinumeratio circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. nam et hoc Cornificius atque Rutilius (II, 5) 'schema λέξεως putant'. Rutilio et Herodiano IX, 601 ὁρισμὸς est. cf. praeterea Cic. Or. 116, Quint. VII, 3, 18 et 35.

163, 3. non est ista fortitudo sed temeritas. huc trahi potest Rutilii paradiastole, I, 4. — 12. ut neque pluribus verbis — putetur. quod pluribus verbis non oportuit dici, ita dilucide dictum est, ut non possit dilucidius, quod brevius non potuit, recte ob brevita-

tem laudatur. hoc non viderunt, qui 'lucidius' intulerunt. 14. transitio. ex parte tractatur a Cic. Or. 137. μετάβασιν appellat Rutil. II, 1. — 21. correctio a Graecis ἐπιδιόρθωσις (cf. Tiber. VIII, 535), ἐπι- 36
τίμησις et ὑπαλλαγὴ (Alex. 486), ἐπανόρθωσις (Iul. Rufin. II, 17), μετάνοια (Rutil. I, 15) nominatur; hanc ultumam appellationem spectat Quint. IX, 2, 60: 'est quasi paenitentia dicti, ut pro Caelio: 'set quid ego ita gravem personam introduxi' (35) idem cognationem correctionis cum dubitatione IX, 3, 88 indicat; Ciceronem vide Or. 135, de or. III, 203. loci a rhetoribus frequentati sunt Dem. XVIII, 130, 297, quibus accedant ex Cic. p. Cael. 69, Phil. III, 3. contrarium quodam modo correctionis est, quom magis idoneum antecedit, levius succedit, ut p. Cael. 32 'quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere; semper hic erro'.

164, 8. quom post praepositio esse videretur, accusativus correctionem necessarius scilicet ab iis habebatur, qui grammaticam sine sensu exercerent; quid enim ineptius dici potest, quam pronuntiationem post correctionem, ergo non ipsa correctione, fieri idoneam? at post adverbium hic est, ei respondere oportet antea, volgo corruptum et male iunctum. 11. est legendum esse, quod nunc invenitur in cod. *c*, vidit Ernesti. de locutione est, quom non est cf. 55, 14. — 13. adfectatius. idem vocabulum atque supra 157, 10, ubi vide notam, restituendum fuit ex varia depravatione. 17. occultatio cf. Praef. I. et 37
Spalding ad Quint. IX, 3, 98. figura breviter describitur a Cic. Or. 137, ab Anaximene accuratius, 47, 3 εἰρωνεία δέ ἐστι λέγειν τι μὴ προσποιούμενον λέγειν — τὸ ἐν προσποιήσει παραλείψεως λέγοντα συντόμως ἀναμιμνήσκειν τοιοῦτόν τι. vocatur παράλειψις ab omnibus technographis Graecis, ut Alex. VIII, 430. Phoebammone 507, Tiber. 532, Demetr. IX, 109, Hermog. π. εὑρ. 89, π. ἰδ. 335, qui laudat Dem. IX, 26, XVIII, 268: adde Isocr. IX, 21, Dem. I, 33, II, 3, XXI, 15, XXIII, 148. Cic. p. Tull. 52. p. Cluent. 99. Verr. II, 5, 20.

165, 4. infrequentem tradiderunt tribuni militum imperatori. 12. ut utilius sit occulte fecisse suspitionem. Quint. IX, 2, 75 idem docet: 'quaedam etiam, quae probare non possis, figura potius spargenda sunt; haeret enim non numquam telum illud occultum, et hoc ipso, quod non apparet, eximi non potest: si idem dicas palam, et defenditur et probandum est' etiam Seneca Contr. I, 5, extr. 'Latro aiebat non quidquid spargi possit suspitiose, de eo etiam dicendum: colorem hunc esse, non quaestionem: eam quaestionem esse, quae impleri argumentis possit'. adde Contr. II, 13 (p. 179.) eius modi fere est, quod Cic. habet de prov. cons. 6. 'nec haec idcirco omitto, quod non gravissuma sint, set quia nunc sine teste dico'. 15. disiunctum ap. Aquil. Rom. II, 20 διεξευγμένον ap. Cic. de or. III, 207 significatur verbis 'quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula'. exemplo sit in Pis. 96 'Achaia exhausta, Thessalia vexata' etc.

166, 6. coniunctio haec non tangitur a plerisque technographis. 38
at coniunctione, qualis a Quintiliano IX, 3, 62 describitur, et ipsa et

adiunctio continetur. idem *ἐπεζευγμένον* est ap. An. Seg. 437, 11; nec alio nomine videtur Aquil. Rom. II, 21 usus esse, ubi ‘antezeugmenon’ corruptelae suspitionem movet. Quint. exempla affert p. Cluent. 15. Cat. I, 22. 16. hae tres — manant Schütz merito eiecit; glossatori deberi dicens, ‘qui quod iam sequitur conduplicationis figura, somniabat aliquid de simplici genere nescio quo.’ 18. conduplicatio. de huius figurae nominibus ait Alexander VIII, 162: *τοῦτο τὸ σχῆμα ὁ μὲν Καρκίνος παλιλλογίαν καλεῖ, ἔνιοι δὲ ἀναδίπλωσιν, οἱ δὲ ἐπανάληψιν*, et hi quidem plerique sunt: primum nomen novit Aquil. Rom. II, 8, tertium ea notione, ut plus uno verbo repetito constet, idem 9; anadiplosin facit, quam Cornificius commutationem (cf. 167, 15). 10. Quint. IX, 3, 28 adiectionem vocat, pluraque genera eius esse dicit quae §§ 28—45 persequitur, exempla complura apponens; iis addimus ex Dem. VIII, 28, XVIII, 24, XXI, 112, XXII, 78, XXIII, 210 (cum not. Weberi), Dinarch. I, 21, 29, ex Cicerone p. S. Rosc. 125, p. Mur. 63, 83, p. Mil. 67, et cum maiore intervallo Verr. II, 5, 31. cum ratione amplificationis, ut infra est 174, 10 ‘nisi ornandi ratio quaedam esset habita’ 205, 1 ‘exponitur cum ratione dignitatis’. — 19. unius aut plurium. sic etiam Rutil. I, 10 ‘id interdum fit uno verbo, interdum plurium verborum coniunctione’.

167, 8. interpretatio significatur a Cicerone Part. 53 ‘cognominatis verbis’, synonymia vocatur ab Alex. VIII, 165 et Aqu. R. II, 16, a qua tautologiam perexiguo differre docet II, 17; *πλεονασμὸς* a Tiberio 563, Apsine 561, Phoebammone 498. de usu huius figurae legatur Aristot. Rhet. III, 12, 2 et Demetr. 50, 93. quadruplex est ap. Lys. XXV, 18.
39 15. commutatio ap. Quint. IX, 3, 85 et Alexandro *ἀντιμεταβολὴ* appellatur (huius corruptissuma verba IX, 180 intellegi possint, si sic compleantur et corrigantur: ‘*γίνεται, ὅταν ἐν τῷ πρώτῳ καὶ δευτέρῳ κώλῳ τῆς περιόδου τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρώμενοι τὰ ἐν ἀρχῇ [τοῦ πρώτου τεθέντα ἐν τέλει τοῦ δευτέρου, τὰ δ᾽] ἐν τέλει τοῦ πρώτου τεθέντα ἐν ἀρχῇ τοῦ δευτέρου τιθῶμεν*’.), ab Hermogene *π. ἰδ.* 286 *ἐπαναστροφή*, a poeta anon. quem edidit Quicherat. ‘reflexio’, anadiplosis et replicatio ab Aq. R. II, 10 Iulio Rufiniano Marciano Capella et grammaticis Charisio Diomede Donato. Rufin. ait Latine hanc figuram duplicationem dici, cuius rei auctor hodie nullus relinquitur. Quintil. ex Cic. p. Cluent. 5, Phil. IV, 8 et p. Quint. 78 affert exempla, quibus accedat p. Quint. 49 ‘etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat, vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit’ ubi ne posteriora repugnent prioribus, post ‘turpis’ inserimus ‘saepe’. alia vide ap. Antiph. V, 14, Isocr. VIII, 108, Dem. XIV, 8, XVIII, 219, 247, Cic. p. Caec. 8, p. Sull. 48, p. Mur. 56, p. Deiot. 30, Senec. Contr. IV, 28 extr.

168, 1. Simonidis dictum servavit Plut. Quaest. Conv. IX, 15 *ζωγραφία μέν ἐστι φθεγγομένη ἡ ποίησις, ποίησις δὲ σιγῶσα ἡ ζωγραφία*. — 2. oxymoron ‘si stultus es — taces’ talem responsionem postulabat, qualem dedimus. 9. permissio nominatur tantum a Cicerone, describitur a Quint. IX, 2, 25 et Rutilio, qui *ἐπιτροπὴν* appellat II, 16.

exempla cf. Dem. XII, 9, XIX, 104, Cic. p. S. Rosc. 145 p. Rab. Post. 45 sq. — 15. dicto atque nutu parebo. sic aput Serv. ad Verg. Aen. VIII, 696 narrat Augustus 'Antonium iussisse, ut legiones suae — (Cleopatrae) nutu et iussu parerent' et ap. Liv. IX, 32 est 'dicto paretur'. ap. Plaut. Men. 248 legerim 'dictum facessas atque tibi caveas malo'.

169, 4. dubitatio ap. Cic. de or. III, 203, 207, Or. 137 breviter 40
tractatur; Graeci plerique *διαπόρησιν* vocant, ut Alexander VIII, 454, Tiber. 533, Aquil. Rom. I, 10; Rutil. II, 10 *ἀπορίαν*. Quint. IX, 3, 88 eodem, quo Cornif. (6) exemplo utitur, ducto ex Dem. XVIII, 20, nonnihil tamen mutato; illic enim haec sunt verba: *τί οὖν συνηγωνίσατο αὐτῷ πρὸς τὸ λαβεῖν ὀλίγου δεῖν ἑκόντας ἐξαπατωμένους; ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων εἴτε χρὴ κακίαν εἴτ' ἄγνοιαν εἴτε καὶ ἀμφότερα ταῦτ' εἰπεῖν.* 8. hoc quoque exemplum indidem est derivatum (Dem. XVIII, 22); graeca illa monstrare possunt, Cornificium nec 'quaero, nam quo te' scripsisse, nec 'nam quo te' set 'quonam te' ceterum his addimus Isocr. VIII, 38, Cic. p. Cael. 67. frigus summum est in dubitatione p. dom. 113 'patremne appellem an filium?' 10. expeditio. a Cicerone Inv. I, 44 eadem forma argumentationis dicitur enumeratio: 'in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis una reliqua necessario confirmatur' ipso nomine significatur Divin. in Caec. 45 'quid? quom accusationis tuae membra dividere coeperit et in digitis suis singulas partis causae constituere? quid? quom unum quidque transigere expedire apsolvere?' adde Brut. 154. Quint. V, 10, 66 appellat argumentorum genus ex remotione, quo modo efficitur totum falsum, modo id, quod relinquitur, verum. de eodem agit VII, 1, 31. Aristoteli hic est locus *ἐκ διαιρέσεως* Rhet. II, 23, 10; exemplum, in quo vera ratio siletur, est ap. Isaeum V, 43, alia invenies Dem. XIX, 92 sqq. 221 sqq. Cic. p. S. Rosc. 39 sqq. p. Q. Rosc. 13 et ap. Apsinem, ubi amplificatur locus Aeschinis III, 230; IX, 549. ibi legendum *ἐξ ἀγνοίας τὸ ψήφισμα ἁμαρτὼν ἔγραψεν ἢ ἀναγκάσαντός αὐτόν τινος;* 12. de possessione vacuorum agrorum cf. Cic. de leg. agr. III, 12. — 16. etiam nunc h. e. postquam prohibui praesentia mea, ne iure agrum possideres.

170, 3. facere ex 'fere' fieri potuit, ut in cod. *h* 51, 3. — 5. dis- 41
solutum tractatur a Cic. Part. 21, Or. 135, Quint. IX, 3, 50 Aquil. Rom. II, 19, qui 'solutum' nominat. vim huius figurae aperit Aristot. Rhet. III, 12, cf. praeterea Hermog. Prog. I, 18, Alex. VIII, 469, Tib. 566. Herodian. 607. — 12. praecisio describitur a Cic. Or. 138 'ut aliquid reticere se dicat' inde explicanda 'reticentia' de or. III, 205, quam quidam falso occultationem habuerunt. Quint. IX, 3, 58 hanc figuram nominat synecdochen, ipsi Graeci *ἀποσιώπησιν*, ut Alex. VIII, 450 Tiber. 536. Demetr. IX, 106. Anaxim. 47, 21, ubi *τὰ ἀστεῖα* tractat, affert etiam hoc: *τὰ ἐνθυμήματα λέγοντας ἡμίση* (sc. *δεῖ λέγειν*), *ὥστε τὸ ἥμισυ αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν τοὺς ἀκούοντας.* exemplum frequenter laudatum praebet Dem. XVIII, 3, adde ibidem 195, et Cic. p. Mil. 33. — 14. par certatio mireris non receptum esse in recentioribus edd.

cf. Cic. p. Quint. 68 'dicturum arbitror, non fuisse Naevio parem certationem cum Alfeno?'

42 171, 1. conclusionem schematum numero eximit Quint. IX, 3, 98. — 10. Cicero Br. 69, ut postea Quint. IX, 1, 4 tropos separat a figuris; ratione hac reddita 'est — tropus — dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est — horum nil in figuras cadit, nam et propriis verbis et ordine collocatis figura fieri potest'. 12. nominatio. de verbis novatis aut similitudine aut imitatione aut inflexione aut adiunctione verborum Cicero egit Part. 16; quem locum respici suspicor a Quint. VIII, 6, 6; adhibeatur etiam Or. 81. Graecis haec est ὀνοματοποιία, cf. Trypho π. τρ. VIII, 740, Greg. Cor. 770 Anonym. 720.

172, 4. pronominatio significatur a Cic. Part. 17 'aut propria sumuntur rerum vocabula aut addita ad nomen'. exemplum praebet de prov. cons. 9 'an vero in Syria diutius est Semiramis illa retinenda?' Graeci ἀντονομασίαν appellant, ut Anonym. 723, unde sua duxit Georg. Choerob. 811. et Cocondr. 787. — 5. non potest. cur non possit res semper suo nomine vocari, nemo intelleget, at non semper placet: quamobrem probanda videtur Schützii coniectura. 9. plagioxypus facile ex codd. corruptelis eruebatur, neque erat, cur Ernesti pronuntiaret, non tanti esse in hoc 'Plagiosippo' laborare. est autem celeripes incursans oblique h. e. dolose. 10. in laedendo. quale est Cic. Phil. III, 16 de Bambalione. 11. sicuti cognomen — conlocemus, in-
43 dex marginalis superiorum vs. 4, sq. huc aberravit. 13. denominatio tractatur a Cic. Or. 92 et de or. III, 167. illic distinguit translationem a mutatione, 'in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti: quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quom dixit Ennius 'arce et urbe orba sum', alio modo [si pro patria arcem dixisset, et] horridam Africam 'terribili tremere tumultu' quom dicit, [pro Afris inmutat Africam]'. hic inclusa, fortasse etiam poetae nomen addita sunt ab interprete. metonymiam vide a Graecis περὶ τρόπων scriptoribus illustratam, ut a Tryphone VIII, 139, Greg. Cor. 770, Cocondrio 786, Georg. Choerob. 811, Anon. 717. Cic. l. c. adscribit: 'hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, μετωνυμίαν grammatici vocant, quod nomina transferuntur'. huc respicit Quint. VIII, 6, 22: 'est nominis pro nomine positio, cuius vis est pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere; sed, ut ait Cicero, ὑπαλλαγὴν rhetores dicunt'. at Alexander VIII, 486, Zonaeus 689, Anonym. 712 alio plane sensu eam appellationem accipiunt. 15. verba 'ut si quis de T. loquens Capitolinum nominet' et transponenda fuere post 'appellata' et corrigenda: videlicet non est exemplum rei ab inventore appellatae, si quis Capitolino monti nomen indat Tarpeii, set rei a finitumis vocatae, nec tam veri simile Tarpeium unquam a celebriore monte nomen mutuatum esse, quam hunc ornandi causa ab illo. 16. ita aut inventore inventum significatur, ut si quis Liberum pro vino Cererem pro fruge

appellet. sic haec nunc conformamus valde corrupta etiam in optumis libris; in quibus π saltem, quid sententia postulet, indicat istis: 'ita ut inventorem pro re ponat' requiriturque hoc altero genere denominationis 'aut instrumento dominus', ('dominum' enim ut scriberetur, propinqui accusativi effecerunt) praeterea ignorasse videtur Cornif. formam adhuc a Quint. VIII, 6, 24 improbatam, et quam Cicero ne commemoravit quidem; nam de or. III, 167 ait: 'gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus, ex quo genere haec sunt: Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino' ergo non 'fruges pro Cerere, vinum pro Libero', quod aput Cocondrium VIII, 786 demum, Georg. Choerob. 812 et Anonymum 717, Bedam denique 380 ed. Capperon. invenitur, nam Tryphonis 739 non esse verba ἢ ἀπὸ τῶν εὑρόντων — ὑπέρτατος totius § contemplatio docet. peccatum identidem est in nostro loco addendis praepositionibus, quae non viderentur abesse posse; at 'signo intellegitur' infra est 175, 2, et 'significatur' quod pro 'conficitur' reposuimus 172, 16 verbo minume apto, praepositionem vix admittit; qua re constanter deleta est, sic descripta serie: 'aut inventore inventum significatur — aut instrumento dominus — aut id, quod fit eo, quod facit — aut id quod facit eo, quod fit — aut eo quod continet id, quod continetur — aut eo, quod continetur, id quod continet'. qui haec ita cohaerere non sentiret, intrusit 'denominabitur'.

173, 3. aut idem addito pronomine certum quendam historicum respici indicatur. 4. materis. cf. Non. XVIII, 26. 7. aut si quod facit eo, quod fit. Cocondr. VIII, 787 eandem dicit denominationis formam: ἀπὸ δὲ τοῦ πάσχοντος τὸ διακρῖναι ὡς τὸ 'χλωρὸν δέος καὶ πόλεμον πολύδακρυν καὶ μαινόμενον Διόνυσον' immo τὸ ποιοῦν, nam διακρῖναι ex inferioribus πολύ — δακρυν καὶ natum esse videtur aberrantibus librarii oculis. exemplum Latinum vide Cic. de prov. cons. 13. 9. eo quod continet. cf. iterum Cocondr. 786.

174, 5. plena consuetudo — denominationum. haec idonea est causa, cur pluribus afferendis exemplis supersedeamus. 8. circuitio a Cic. de or. III, 207 vocatur circumscriptio. Quint. VIII, 6, 59 haec habet: 'quidquid — significari brevius potest et cum ornatu latius ostenditur, περίφρασις est: cui nomen Latine datum est non sane aptum orationis virtuti circumlocutio. verum hoc, ut cum decorem habet, περίφρασις, ita cum in vitium incidit, περισσολογία dicitur, obstat enim, quidquid non adiuvat'. cf. praeterea Tryphon. VIII, 742, Greg. Cor. 771, Cocondr. 791, Georg. Choerob. 812. exempla sufficiant Dem. XVIII, 249, XXI, 96, Cic. Cat. III, 16. — 12. transgressio est aput Cic. de or. 44
III, 203 traiectio, ib. 207 verborum concinna transgressio commendatur. pluribus Quint. eam figuram illustrat VIII, 6, 62, hac distinctione facta: 'id cum in duobus verbis fit, ἀναστροφή dicitur, reversio quaedam: qualia sunt volgo: mecum secum; apud oratores et historicos: quibus de rebus. at cum decoris gratia trahitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen'. laudat Cic. p. Cl. 1. Hermog. π. ἰδ. 287, 21, quem sequitur Tiber. VIII, 561, dividit hyperbaton in τὸ κατ' ὑπέρθεσιν et τὸ

κατὰ παρένθεσιν, utriusque laudans exemplum Demosth. II, 5, 16. *καθαρότητος ἐναντίον* dicitur ab eodem *π. ἰδ.* 208, 1. cf. praeterea Alexandr. VIII, 481, et Anonym. 644, ceteri scriptores magis grammatica quam rhetorica afferunt. 18. in quibus — apsolutae. sic Cic. de or. I, 151 'ipsa conlocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo non poetico, set quodam oratorio numero et modo.'

175, 3. superlatio in genere tractatur a Cic. Top. 67, Or. 139, de or. III, 203. divisio eius figurae eadem fere atque hic est ap. Demetr. IX, 56 sq. 74 sq. et Cocondr. VIII, 791, amplior ap. Quint. VIII, 6, 68, qui ait: 'fit pluribus modis, aut enim plus facto dicimus — aut res per similitudinem attollimus — aut per comparationem aut signis quasi quibusdam — vel translatione'. laudat exempla Cic. Phil. II, 63, 67, Verr. II, 5, 145. bene monet l. c. 74 mentiri hyperbolen, neque ita, ut mendacio fallere velit; quo magis intuendum est, quousque deceat extollere, quod nobis non creditur'. breviter tangitur superlatio ab Anaxim. 35, 7, quo loco Spengel affert Lys. VII, 1, Demosth. LX, 24. pueriles hyperbolas esse pronuntiat Aristot. Rhet. III, 11, 15, maxume comoediae aptas Demetrius l. c. usus Aristophanis exemplis, ut Trypho VIII, 746 quodam Diphili. nil novi est ap. Greg. Cor. 772, Georg. Choerob. 814, Anon. 721 et Iul. Rufin. I, 38. — alicuius notavimus, pronomen enim abest 178, 2 in eadem dictione, etiam ap. Cic. de or. III, 203: 'augendi minuendive causa veritatis superlatio atque traiectio'. 11. simile, set ex contrario, est de foeda puella illud Diphilium *μέλαινα δ' οὕτως, ὥστε καὶ ποιεῖν σκότος.* 13. intellectio. Quint. VIII, 6, 9 *συνεκδοχὴν* appellat atque eodem fere modo describit, quo Trypho VIII, 739, ceterique Graeci, Cocondr. 790, Greg. Cor. 769, Georg. Choerob. 809, anonymi 691, 697, 718. — 14. aut ab uno plura aut pluribus unum ex seqq. 176, 3, 5 Schütz supplevit; deesse non posse lector attentus intelleget.

176, 11. abusio explicatur a Cicerone Or. 94. 'Aristoteles — tralationi — subiungit — abusionem, quam *κατάχρησιν* vocant, ut quom minutum dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat vel quod docet' idem de or. III, 169 similia docet, adde Quint. VIII, 1, 5 et scriptores de tropis VIII, 716, 766, 784, 804. Demosthenica exempla sunt IV, 43, 45, XIV, 3, XXI, 166, ex Cic. laudetur terrester archipirata Apronius Verr. II, 5, 70. — 17. translationis causae a Cic. Or. 92 proferuntur duae potissumum, suavitatis et inopiae; eum sequitur Quint. VIII, 6, 18, qui plurumis de translatione agit, ut Demetr. quoque IX, 38—43. addatur Aristot. Rhet. III, 2, 8 et Tryph. VIII, 729, quocum conspirant Cocondr. 784, Greg. Cor. 764, Georg. Choerob. 804. — 20 brevitatis causa. metaphora enim, ut ait Quint. VIII, 6, 8 'brevior est similitudo, eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur'. 22. cuius mater — delectatur. expressa haec sunt ex Demosth. XVIII, 129.

177, 7. translationem pudentem — esse oportere. omnes

dicendi magistri praecipiunt: Aristot. Rhet. III, 2, 8, Quint. VIII, 6, 14,
Demetr. l. c. Hermog. π. εὑρ. 176, 2, π. ἰδ. 225, 10: paene isdem ver-
bis Cic. de or. III, 165 'verecunda debet esse translatio, ut deducta in
alienum locum, non inruisse, atque ut precario, non vi venisse videatur'.
exempla translationis eadem de causa, qua metonymiae, afferre noluimus.
10. permutatione scriptor tria alibi separata schemata complectitur: si- 46
militudinem s. ἀλληγορίαν (Demetr. 43 παραβολὴν appellat); argumen-
tum s. ἀντονομασίαν quodam modo; contrarium s. εἰρωνείαν. de primo
genere agunt Cic. de or. III, 166, Part. 53, Quint. VIII, 6, 44, Demetr.
l. c. Quint. ubi translationem tractat inter alia 'modicus' ait 'atque oppor-
tunus eius usus illustrat orationem — continuus vero in allegorias et ae-
nigmata exit'. deinde l. c. 51 quod Cornif. argumentum vocat, exemplum
nominat: 'est in exemplis allegoria — nam ut Dionysium Corinthi esse,
quo Graeci omnes utuntur, ita pluruma similia dici possunt'.

178, 3. Gracchûm nitorem opsoletum Lindemann scripsit,
Gracchorum proposuit Orelli; prioribus editoribus hic nulla lux oborta
erat. scilicet Drusus ad incepta Gracchorum rediens rem iam vetustam
revocare videbatur. 4. ex contrario ducitur cf. Anaxim. 47, 3:
*εἰρωνεία δέ ἐστι — τοῖς ἐναντίοις ὀνόμασι τὰ πράγματα προσαγορεύ-
ειν.* a Cic. de or. III, 203 dicitur 'illa, quae maxume quasi inrepit in
hominum mentis alia dicentis alia significantis dissimulatio' et Or. 137
'ut contra ac dicat accipi et sentiri velit'. adde Quint. VIII, 6, 56, Aquil.
Rom. I, 7, Alexander VIII, 451, Trypho 757, Herodian. 590. exempla
praebent Aeschin. III, 155, Lycurg. 88, Hyperid. ap. Aps. IX, 547, Dem.
III, 27, XXIV, 106 et maxume 199: Cic. Verr. II, 5, 28 et 31, Phil. III,
24, p. Sest. 80 sqq. 93. — 15. distributio nominata tantum a Cic. 47
de or. III, 204 describitur in Or. 138 'ut aliud alii tribuens dispertiat' cf.
praeterea Anaxim. 48, 4, Rutil. Lup. I, 17, qui μερισμόν, et Iul. Ru-
fin. II, 23. Rhet. VII, 245, qui διαίρεσιν vocant. exemplum longius,
quam ut huc transferatur, habet Cic. Cat. II, 18—23 etiam Verr. II, 3, 6 'fi-
dem sanctissumam — recordetur'. ibi interpolatorum culpa videtur factum,
quod subito Verrem in interrogatione ad Hortensium conversa alloquitur,
quom deinde pergat rursus defensorem compellans; scripserim igitur 'si
isti non infestissumus sit — decretorum? qui — is non expilatione — is
non isti — quom verbera — recordetur'. ex Demosth. cf. I, 28, III, 26.

179, 11. separanda esse exempla latuit editores, neque viderunt se-
natus magistratuum populi actiones nil commune habere cum iudiciis.
15. adhibuimus haec ad 36, 5 dicta contra testes: 'cupide dicere et ar-
gumentari'. ex contrario laudatur M. Scauri oratio a Cic. Brut. 111 'in
qua gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut cau-
sam, set ut testimonium dicere putares, quom pro reo diceret'.

180, 6. licentia in eo versatur, 'ut liberius quid audeat — ut obiur- 48
get aliquando' (sic Cic. Or. 138). nostrum locum respicit Quint. IX, 2,
27 'assimulata et arte composita procul dubio schemata sunt existimanda:
quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam vo-
cat, Graeci παρρησίαν. quid enim minus figuratum, quam vera libertas?

sed frequenter sub hac specie latet adulatio'. citatur etiam ab Iul. Rufin. I. 33, qui, ut Rutil. Lup. II, 18 *παρρησίαν* appellat. Hermogenes rem sic describit π. ἰδ. 233, 19 *ἔννοιαί εἰσι τραχεῖαι πᾶσαι αἱ τῶν μειζόνων προσώπων ἐπιτίμησιν ἔχουσαι ἀπό τινος τῶν ἐλαττόνων προσώπων ἀπαρακαλύπτως.* idem monet Demosthenem perraro habere *καθαρὰν τραχύτητα*, π. ἰδ. 233, 19 plurima licentiae exempla Lysias praebet, in primis in or. XXI, ap. Isocr. VIII licentiam habent haec omnia 3—60; mitigatio additur 72. 114, 124; ap. Aeschin. I, 177 mitigatio antecedit licentiam. cf. praeterea Dem. III, IX passim, XVIII, 138, XXIII, 146, Lycurg. 27, Cic. p. Caec. 4. p. Sest. 94.

181, 3. similiter Cic. p. Caec. 6 'ego mihi persuadeo — vos — quod videtur ad summam illius (Aebutii) existumationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum acquisisse? (quaesivisse?)' 6. non contra tenuiter — responsum. Cic. p. Cluent. 60 'utrum, per deos inmortalis, magis est mirandum, quod is condemnatus est, an quod omnino respondere ausus est?' 10. sedetis et auspicamini plane convenit cum Aristophanio Lys. 597 *ὀττευομένη δὲ κάθηται.* nunc demum sensum habent sequentia: 'luci noctem, nocte lucem expectatis' quae si, ut volgo, 'oscitamini' legatur, in altero membro carent sensu: luci enim noctem expectant, qui oscitantur, non item nocte lucem. 15. alitis. sic Aesch. III, 256. *οἴεται ὑμᾶς εἰς τοσοῦτον εὐηθείας ἤδη προβεβηκέναι — ὥσπερ Πειθὼ τρέφοντας, ἀλλ' οὐ συκοφάντην ἄνθρωπον ἐν τῇ πόλει.*

49 16. retinetis — in civitate. eadem fere verba habet Cic. Verr. II, 2, 76. — 17. mitigationibus. mitigationis exemplum vide ap. Dem. VIII, 41 et plura allata ab Hermog. π. ἰδ. 253, 3 sqq. *ἐπιδιόρθωσιν* appellat Tiber. VIII, 431.

182, 1. iracundiae molestia. meliores libri hic incommodissumam nec huic scriptori consuetam formam loquendi habent iracundiam et molestiam, ubi significantur offensi licentia auditores. 5. alterum genus solum est Quintiliani sententia schema, quippe assimulatum et arte compositum, cf. l. c.

183, 2. nimium creditis unicuique. Demosth. ap. Rutil. II, 18: 'vos — decepti estis temere omnibus credendo'. 7. licentiae male additum ab interprete pro 'generis' quod abesse tamen potest.

50 11. post exempla non amplius locus est explicandae duplici huic mitigationi: profecta esse videtur haec annotatio ab eodem lectore, qui multa similia prioribus libris allevit. 17. deminutionem tangit Cic. Part. 22 'movet oratio — quae — significat oratoris ipsius amabilis mores, qui exprimuntur — inflexione sermonis, quom aut augendi alterius aut minuendi sui causa alia dici ab oratore, alia existumari videntur, idque comitate fieri magis quam vanitate'. brevius tangitur Or. 137. huc facit etiam Sen. Suas. 9, Bip. ubi scripserim 'haec quo modo ex corruptis eo perveniant, ut et magna, nec tamen insana (volgo 'sana') sint, aiebat Maecenas apud Vergilium intellegi posse'. Hermog. pluribus hanc *ἐπιείκειαν* tractat π. ἰδ. 328, adhibito Demosth. XVI. 16, XX, 2, 13, 102, XXI, 1, XXIII, 4, 24, XXVII, 1. accedat Cic. p. Balb. 1.

184, 8. quod signum liberalitatis — avaritiae. haec verba eiecit Schütz turpissumum emblema esse dicens: at sic alterum refutationis membrum insuavissume decurtatur, nec sententia tam inepta est, si liberalitatem intellegas de moribus honestis nil humile ferentibus. humilis autem ingenii avaritia est. 17. descriptio idem est, quod ap. Cic. 51
Part. 55 'consequentium frequentatio' et Top. 67 locus ex ecfectis, qui, ut ibi ait 'suppeditare solet oratoribus et poetis, saepe etiam philosophis. set iis, qui ornate et copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi. quom denuntiant, quid ex quaque re sit futurum'. ab ipso multa petas exempla, quorum illustrissumum videtur Cat. IV, 11. ex Isaeo laudamus IX, 36 sq. ex Aeschin. III, 157, ex Demosth. XXIV, 93 sq.

185, 5. rem puplicam funditus labefactans volgo scribitur, at nullus locus rei publicae, ubi orator incommoda privatorum enumerat, nec potest illâ funditus labefactatâ ostendere periculum, ne iudices in semet ipsos immittant teterrumam beluam. 10. grandis natu parens — habebit. eadem res describitur ab Antiph. III, β, 10.

186, 1. vestigium veri unus π servavit lectione erumnarum. aerumnae graves labores sunt, ut ap. Cic. Fin. II, 118. 3. flagrabat habent codd. optumi fortasse corruptum ex 'flagratur' vel 'flagratast' cf. supra lectum 135, 13 et Hygin. fab. 179 'cum fulmine et tonitribus venit et Semelen conflagravit'. 6. ante pedes, simile vide Cic. Ph. III, 4. — 12. divisio. Cic. Inv. I, 45 complexionem in formis ar- 52
gumentationis profert 'in qua, utrum concesseris, reprehenditur ad hunc modum: si inprobus est, cur uteris? si probus, cur accusas'. Hermogenes III, 167 ed. Walz appellat τὸ διλήμματον — ὅταν δύο ἐρωτήσεις ἐρωτῶντες τὸν ἀντίδικον πρὸς ἑκατέραν ὦμεν εἰς λύσιν παρεσκευασμένοι laudans duo exempla Demosth. XVIII, 196, 217; addimus XVI, 23, XXIV, 122, XXXII, 16, LVI, 33, Lycurg. 34, 76, Ciceronis p. Quint. 81 p. S. Rosc. 52, p. Planc. 13 med. Verr. II, 2, 150 sq. Ph. III, 14, 18, 21. non omittenda fabula iucunda de dilemmato, quo Tisias contra Coracem, Corax contra Tisiam usus esse dicitur Prol. Stas. IV, 14; translata etiam ad Euathlum et Protagoram Gell. V, 10.

187, 4. verba de qua — demonstravimus nec bene Latina sunt, nec solet Cornificius tam accurate sua citare. 10. frequentatio eadem est atque enumeratio, de qua iam ad II, 47 egimus. hîc addimus indicari eam a Quint. IX, 2, 103 'multa — Rutilius Gorgiam secutus — et Celsus — posuerunt schemata: consummationem. quam Graecus διαλλαγὴν vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur'. vocabulum Graecum corruptum videtur ex παλιλλογίαν. eadem ap. Aristot. Rhet. III, 19, 4 ἀνάμνησις est, ap. Theon. 181, Apsin. IX, 547 ἀνακεφαλαίωσις, ap. Alexandr. VIII, 439 et Zonaeum 675 συναθροισμός, fit autem vel omnibus colligendis argumentis, vel ex parte, quod praecipit Anaxim. 48, 9: χρὴ δὲ καὶ παρὰ μέρος ἕκαστον τοῦ λόγου παλιλλογεῖν, fecitque hoc Isocr. VII, 32: 'φαινόμεθα γὰρ πρῶτον μὲν παρὰ τῶν κυρίων τὴν χώραν λαβόντες κτέ.' (unde corrige ib. 24 δόντων μὲν 'Ηρακλεῖ τῶν κυρίων, sensu enim cassum, quod volgo legitur

